DE VOCABULIS PATRONYMICIS ET ETHNICIS A POETIS LATINIS PER METONYMIAM NOMINUM PROPRIORUM LOCO POSITIS

DISSERTATIO INAUGURALIS PHILOLOGICA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE
AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS
IN
ACADEMIA FRIDERICIANA HALENSI CUM VITEBERGENSI
CONSOCIATA
AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES
RITE CAPESSENDOS

SCRIPSIT

JOSEPH VAN ROYEN
RHENANUS

HALIS SAXONUM
TYPIS ORPHANOTROPHEI
MDCCCC

PARENTIBUS MEIS OPTIMIS

Poetae Romani cum non ita ingenii quam artis laudem adfectent et „doctarum virginum“ alumnos se praedicare gaudeant, hanc doctrinam et inventionis et elocutionis paene in singulis versibus Propertii, Ovidii, Statii, aliorum deprehendere licet. Quae cum vetet imprimis vocabulis communibus uti, vel in nominum propriorum usu fere reformidant hi poetae ab adhibendis ipsis nominibus, et quantum quidem fieri potest eorum loco vocabula metonymica inducunt ita, ut non ipsam personam fabularum directo sermone indicent, sed nomen a patre aut a patria eius fictum ponere malint. Quo more imprimis utuntur in enarrandis fabulis Graecis latius excolentes consuetudinem ne ab antiquissimis quidem Graecorum carminibus alienam. Nam necessitas nominum propriorum, si in narratione longa saepius commemoranda sunt, varie exprimendorum tam vetus est, quam ipsa ars poetica. Iam Homerus multa exempla nobis praebet; poetae lyrici et aliquanto rarius poetae tragici eodem iure utuntur. Haec vocabula metonymica partim in forma adiectivi, partim in forma substantivi inveniuntur; et initio, cum prima in lucem prodirent, cum nominibus propriis coniungebantur, tum in narratione longa modo haec modo illa, denique vocabula metonymica sola nominum propriorum loco ponebantur. Sic, ut exempla afferam, nomen proprium cum *patronymico* coniunctum videmus

Il. V 615: *Τὼ δὲ πεσόντ' ἐλέησε μέγας Τελαμώνιος Αἴας,*

Od. XI 553: *Αἶαν, παῖ Τελαμῶνος ἀμύμονος οὐκ ἄρ' ἔμελλες ....*

Od. XI 543: *Οἴη δ' Αἴαντος ψυχή, Τελαμωνιάδαο, ...*

Modo *nomen proprium* modo *patronymicum* invenitur

Il. I 131: *Μὴ δ' οὕτως ἀγαθός περ ἐών, θεοείκελ' Ἀχιλλεῦ.*

146: *Ἠὲ σύ, Πηλείδη, πάντων ἐκπάγλοτατ' ἀνδρῶν.*

148: *Τὸν δ' ἄρ' ὑπόδρα ἰδὼν προσέφη πόδας ὠκὺς Ἀχιλλεύς·*

Il. I 188: Ὣς φάτο Πηλείωνι δ' ἄχος γένετ', ἐν δέ οἱ
ἦτορ . . . .
223: Πηλείδης δ' ἐξαῦτις ἀταρτηροῖς ἐπέεσσιν
Ἀτρείδην προσέειπε . . . .
240: Ἦ ποτ' Ἀχιλλῆος ποθὴ ἵξεται υἷας Ἀχαιῶν,
245: Ὣς φάτο Πηλείδης· ποτὶ δὲ σκῆπτρον βάλε γαίῃ.
Il. XXII 8: Τίπτε με, Πηλέος υἱέ, ποσὶν ταχέεσσι· διώκεις;
14: Τὸν δὲ μέγ' ὀχθήσας προσέφη πόδας ὠκὺς
᾿ χιλλεύς.
240: Ἔστω φειδωλή, ἵνα εἴδομεν, ἤ κεν Ἀχιλλεύς,
250: Οὔ σ' ἔτι, Πηλέος υἱέ, φοβήσομαι, ὡς τὸ
πάρος περ.

Ethnicum cum nomine proprio coniunctum legitur
Il. IV 399: Τοῖος ἔην Τυδεὺς Αἰτώλιος· ἀλλὰ τὸν υἱὸν. . . .
Hes. Theog. 530: Ὄφρ' Ἡρακλῆος Θηβαγενέος κλέος εἴη.

Modo *nomen proprium*, modo *ethnicum* exstat
Eur. Hec. 628: Ἰδαίαν ὅτε πρῶτον ὕλαν
Ἀλέξανδρος εἰλατίναν
Ἐτάμεθ' ἅλιον ἐπ' οἶδμα . . . .
925: Τὰν τοῖν Διοσκόροιν Ἑλέναν κάσιν
Ἰδαῖόν τε βούταν αἰνόπαριν . . .
Eur. Or. 1422: Ἑλένας, Ἑλένας εὐπᾶγι κύκλῳ . . .
1432: Προσεῖπε δ' Ὀρέστας
Λάκαιναν κόραν· Ὦ Διὸς παῖ . . . .

Iam videmus hunc usum nominum propriorum per metonymiam exprimendorum antiquissimis temporibus ignotum et inusitatum non fuisse, sed poetae Romani eo ab illius aetatis poetis differunt, quod non solum a patre sed saepe ab avo, immo a proavo et atavo vocabula patronymica desumunt et a matris nomine metronymica quae vocantur formant et a patronymicis ipsis alia patronymica vel adeo metronymica deducunt ut Acrisioniades ab Acrisione i. e. Danaë, Persei matre. Iam vero etiam hoc commemoratu dignum mihi videtur, quod Romani saepius quam poetae illius aetatis vocabulis patronymicis et ethnicis sine nomine proprio utuntur et iis quidem, quae antiquissimis temporibus nobis non occurrunt, sed ex recentioribus fabularum formis originem ducunt. Romanos huius usus auctores fuisse nemo

putaverit, sed poetas doctissimi Alexandrini aevi priores hanc artem excoluisse et ab Alexandrinis Romanos hanc artem accepisse iure suspicamur.

Hoc opusculo igitur omnia vocabula patronymica et ethnica, quae apud poetas Latinos exstant, in lucem proferemus et usitata a non usitatis disiungentes quaeremus, qua fabula vocabula minus usitata contineantur, et, in quantum fieri potest, ex quo auctore poetae Romani repetiverint explicare studebimus. In fine huius opusculi duos indices in commentarioli formam redactos addam, quarum prior explicabit *quae nomina propria a quoque poeta* Romano per metonymiam expressa sint — quae iam apud poetam Graecae linguae leguntur, in hoc indice locis e carminibus Graecis collatis illustrabo, — altera tabula indicabit, *quae vocabula patronymica et ethnica* apud poetas Romanos exstent et utrum *uni* an *compluribus* personis idem metonymicum attributum sit.

Vocabula usitata autem ea intellegimus, quae iam antiquissimis temporibus formata carminibus epicis, lyricis, tragicis tradita et ab omnibus fere poetis repetita sunt. Quorum vocabulorum Homerus et Hesiodus nobis praebent haec patronymica:

Achillis filius	=	Neoptolemus
Acrisione	„	Danae
Actoris filius	„	Menoetius
Aeacides	„	Achilles
Aeetae filia	„	Medea
Aegides	„	Theseus
Aesonides	„	Iason
Agamemnonides	„	Orestes
Alcides	„	Hercules
Alcinoi filia	„	Nausicaa
Alcmenes filius	„	Hercules
Aloëi filii	„	Otus et Ephialtes
Amphitryoniades	„	Hercules
Ampycides	„	Mopsus
Anchisiades	„	Aeneas
Andraemonides	„	Thoas
Atlantis filia	„	Calypso
Atrides	„	Agamemnon
Atrides	=	Menelaus
Cadmei	„	Thebani
Cadmeis	„	Semele
Danaës filius et Danaides	„	Perseus
Dardanides	„	Anchises
	„	Priamus
Dardanus	„	Troianus
Ephyra	„	Corinthus
Haemonides	„	Maeon
Hippotades	„	Aeolus
Iapetionides	„	Prometheus
Icarii filia	„	Penelope
Laertiades	„	Ulixes
Laomedontiades	„	Priamus
Menoetiades	„	Patroclus
Minois filia	„	Ariadne
Naubolides	„	Iphitus
Nelides	„	Nestor
Nestorides	„	Antilochus

Oenei filius	=	Meleager	Priamides	=	Helenus
Oenidae filius	„	Diomedes		„	Paris
Oenides	„	Tydeus	Solis filius	„	Aeetes
Oïliades	„	Aias	Stheneli filius	„	Eurystheus
Pandionis filia	„	Procne	Telamoniades	„	Aias
Panthoides	„	Euphorbus	Thaumantis filia	„	Iris
Pelides	„	Achilles	Thestorides	„	Calchas
Pheretiades	„	Admetus	Thetidis filius	„	Achilles
Philyrides	„	Chiron	Thyestiades	„	Aegisthus
Pitthei filia	„	Aethra	Tydides	„	Diomedes
Poeantius	„	Philoctetes	Tyndarei filia	„	Clytaemestra
Priami filia	„	Cassandra	Tyndaridae	„	Castor et Pollux
Priamides	„	Hector			

et haec ethnica:

Aeaea	=	Circe	Ithacesius	=	Ulixes
Aetolus	„	Tydeus	Thebagenes	„	Hercules.
Argiva	„	Helena			

Ad haec vocabula ex Pindari et Bacchylidis carminibus accedunt:

Aeacides	=	Aias	Oeclides	=	Amphiaraus
Agenorides	„	Cadmus	Parrhasius	„	Arcadius
Europiades	„	Minos	Pelopidae	„	Agamemnon et Menelaus
Inachi filia	„	Io			
Iovis filius	„	Hercules	Plisthenides	„	Menelaus
Ledae filii	„	Castor et Pollux	Porthaonides	„	Meleager
			Talaonides	„	Adrastus
Libys	„	Antaeus	Thestii filia	„	Althaea.
Nereis	„	Thetis			

Praeterea in tragoediis inveniuntur haec patronymica:

Aeacides	=	Peleus	Oenei filius	=	Tydeus
Amazonis filius	„	Hippolytus	Oenides	„	Diomedes
Astaci filius	„	Melanippus	Sisyphides	„	Ulixes
Atalantes filius	„	Parthenopaeus	Tantalius	„	Pelops
Athamantis	„	Helle	Tantalidae	„	Agamemnon et Menelaus
Cecropidae	„	Athenienses			
Dardanides	„	Ganymedes	Thesei filius	„	Hippolytus
Inachidae	„	Argivi	Thesidae	„	Athenienses
Lai filius	„	Oedipus	Thestias	„	Leda
Ledae filia	„	Helena	Titan	„	Prometheus
Oedipodis filius	„	Eteocles	Titanis	„	Themis
	„	Polynices	Tyndaris	„	Helena

et haec ethnica:

Arcas	=	Parthenopaeus	Lacaena	=	Helena
			Phrygius	„	Ganymedes
Cadmogenes	„	Hercules	Pylius	„	Nestor
Colchis	„	Medea	Thessalus	„	Achilles
Idaeus	„	Paris	Tirynthia	„	Alcmene

Omnia haec vocabula quae enumeravi a poetis Latinis repetuntur, sed praeterea in eorum carminibus alia nobis occurrunt, quae partim magis obscurae originis partim tam artificiose formata sunt, ut Romanos ea ipsos non fecisse, sed ex Alexandrino fonte hausisse facile nobis persuadeamus. Etiamsi omnia vocabula patronymica et ethnica, cum multa carmina Alexandrinorum perierint, in eorum carminibus reperire non possumus, vestigia plurimorum, nisi fallor, cognosci possunt. Quae vestigia ut detegam, fabularum singularum personas eorumque patronymica et ethnica, quae a poetis Latinis ponuntur, in lucem prodire iubebo. Ac primum ea enumerabo, quae belli Troiani fabulam attingunt.

In Graecorum partibus princeps Agamemnon, Atrei filius, Pelopis nepos (Pind. N. VIII 12; Aesch. Agam. 1571; Choeph. 490; Soph. El. 10; Eur. Tro. 713; Or. Prol.), apud poetas Romanos *Mycenaeus* et Iphigenia, eius filia, modo *Agamemnonia*, modo *Pelopea*, modo *Mycenis* vocatur. Mycenaeus certe ex Iliade manavit, quae XI 46 Agamemnon a *βασιλῆα πολυχρύσοιο Μυκήνης* nominant. Iphigenia autem non ab omnibus poetis Agamemnonis filia putabatur.

Etymologicum Magnum s. *Ἰφιγένεια* dicit: *Εὐφορίων αὐτὴν* (sc. *Ἰφιγένειαν*) *ἐτυμολογεῖ [ἀγνοῶν αὐτὴν Ἀγαμέμνονος, οἴεται δὲ αὐτὴν] Ἑλένης καὶ Θησέως, ὑποβλητὴν δὲ δοθῆναι Κλυταιμήστρᾳ.* Quae versio confirmatur lexico apud Cramerum Anecd. Oxon. II p. 450, 29: *οὕνεκα ἡμῖν ἶφι βιασαμένῳ Ἑλένη ὑπεγείνατο Θησεῖ· ἢ ἐξ Ἑλένης καὶ Θησέως.*

Quod autem Thesei et Helenae filiam dicit, Iphigeniam, id Argivos et inter poetas primum Stesichorum tradidisse docet Pausanias II 22, 7. Stesichorum secutus est etiam Nicander (apud Ant. Lib. XXVII, Schneid. Nic. p. 64) et Duris Samius (apud Tzetz. ad Lycoph. 103. 513. 851).

In Iliade IX 142 Chrysothemis, Laodice, Iphianassa enumerantur; pro Laodice Xanthus (Aelian. V. Hist. IV 26) Electram introduxisse dicitur. Iphigenia, quae in Cypriis (cf. frg. 12 in schol. Soph. El. 157) primum exstitisse fertur, apud omnes poetas tragicos locum inter filias Agamemnonis tenet (cf. Aesch. Agam. 1525; Soph. El. 531; Eur. Iph. et El.). Plerumque Iphigenia pro Iphianassa substituta esse videtur, sed Sophocles Iphigeniam et Iphianassam commemorat in Electra (cf. 157. 531 sqq.). Certe Iphigeniam Agamemnonis filiam esse ex tragoediis per Alexandrinos ad Romanos pervenit. Clarissime Iphigeniae stemma exstat apud Euripidem in Orestis prooemio, ubi invenimus:

Iuppiter
|
Tantalus
|
Pelops
|
Atreus

Agamemnon — Menelaus

Orestes, Iphigenia, Chrysothemis, Electra.

Tantali filium Pelopem fuisse testatur iam Ilias (II 105 sq.). Hesiodus et Aeschylus Pelopem patrem Atrei et avum Plisthenis putasse dicuntur apud Tzetzem (Exeg. in Il. p. 68 = Ep. frg. Kinkel p. 125), ubi legimus:

Ὁ Ἀγαμέμνον, ὑμοίως δὲ καὶ Μενέλαος καθ' Ἡσίοδον καὶ Αἰσχύλον Πλεισθένους υἱοῦ Ἀτρέως παῖδες νομίζονται, κατὰ δὲ τὸν ποιητὴν καὶ πάντας ἁπλῶς Ἀτρέως αὐτοῦ.

Pelops, qui Tantali filius, regis Sipyli urbis in Asia minore sitae (cf. Il. II 105 sq.; Pind. O. I 38; Eur. Orest. prooem.), fuisse traditur, apud Propertium *Phrygius* nominatur. Idem epithetum invenitur in Sophoclis Aiacis versu 1292, ubi legimus:

Οὐκ οἶσθα, σοῦ πατρὸς μὲν ὃς προύφυ πατήρ
Ἀρχαῖον ὄντα Πέλοπα βάρβαρον Φρύγα.

Pindarus eum *Lydum* appellat (O. I 23). Fortasse et *Phrygius* et *Lydus* hoc solum dicere vult, Pelopem ex Asia in Graeciam venisse.

Liceat hoc loco etiam Pyladem, Orestis amicum, et Briseida, quae causa fuit Achillis irae in Agamemnona, afferre. Pro *Pylades* apud poetas Latinos *Phoceus* invenitur, quod vocabulum, etiamsi alias non exstat, tamen ex tragoediis per Alexandrinos ad Romanos fluxisse constat. Nam Eur. Or. legimus 718:

Πυλάδην δρόμῳ στείχοντα Φωκέων ἄπο

(cf. Soph. El. 45. 670. 1111. 1442). Callimachus vero primus Pyladem *τὸν Φωκέα* nominat, nam Ep. LIX legimus:

Οὐδ' ἔλαβ' ἐξέτασιν τῷ Φωκέος ἅτις ἐλέγχει
Τὸν φίλον κ. τ. λ.

Brisei filia Hippodamia, quae iam in Homeri carminibus semper *Briseis* vocatur, apud Romanos a patria sua nomen *Lyrnesidis* accepit. Argivos enim, postquam Lyrnesum diruissent, ex hac urbe Briseida secum duxisse dicit iam Homerus Il. II 688 sqq. hisce verbis:

Κεῖτο γὰρ ἐν νήεσσι ποδάρκης δῖος Ἀχιλλεύς,
Κούρης χωόμενος Βρισηίδος ἠϋκόμοιο,
Τὴν ἐκ Λυρνησσοῖ ἐξείλετο πόλλα μογήσας
Λυρνησσὸν διαπορθήσας καὶ τείχεα Θήβης

(cf. Quint. Smyrn. III 552).

Pro Ulixis nomine apud poetas Latinos solos ethnica *Dulichius* et *Neritius* inveniuntur, quae vocabula sine dubio ad Homerum (Od. IX 21 sqq.) referenda sunt, ubi legimus:

Ναιετάω δ' Ἰθακὴν εὐδείελον· ἐν δ' ὄρος αὐτῇ
Νήριτον εἰνοσίφυλλον, ἀριπρεπές· ἀμφὶ δὲ νῆσοι
Δουλίχιόν τε Σάμη τε καὶ ὑλήεσσα Ζάκυνθος.

Sed quamquam ex his versibus illa ethnica facile formari possunt, tamen Romanos iis primos usos esse non putaverim. — Praeterea pro *Ulixes Aeolides* exstat. Ex quo fonte hoc patronymicum manaverit, aliquantulum cognosci potest. Aeolus, rex Magnesiae Thessalicae, ex Euarete, Deimachi filia, septem filios Cretheum, Sisyphum, Athamantem, Salmoneum, Deionem, Magnetem, Perierem, et quinque filias Canacen, Alcyonen, Pisidicen, Calycen, Perimeden procreavit (Eurip. frg. 14 N.; Apollod. I 50. 51; Schol. Pind. P. IV 253; Paus. IV 2, 5; VI 21, 11; 22, 2). Sisyphum iam Homerus *Aeoliden* nominavit (Il. VI 154):

Ἔνθα δὲ Σίσυφος ἔσκεν, ὁ κέρδιστος γένετ' ἀνδρῶν,
Σίσυφος Αἰολίδης . . . .

et Hesiodus apud Tzetz. ad Lyc. 284:

Ἡσίοδος ἐν τῇ Ἡρωϊκῇ γενεαλογίᾳ·
Ἕλληνος δ' ἐγένοντο φιλοπτολέμου βασιλῆος
Δωρός τε Ξοῦθός τε καὶ Αἴολος ἱππιοχάρμης
Αἰολίδαι δ' ἐγένοντο θεμιστοπόλοι βασιλῆες
Κρηθεὺς ἠδ' Ἀθάμας καὶ Σίσυφος αἰολομήτης
Σαλμωνεύς τ' ἄδικος καὶ ὑπέρθυμος Περιήρης.

Romani hic ut alias patronymicum de filio ad nepotem transferentes etam Ulixem, qui a Sisypho originem suam ducit, sic significant. Ulixem vero a Sisypho ortum esse apud Homerum nondum legitur; poetarum tragicorum autem Aeschylus et Sophocles et Euripides hoc Ulixis genus esse statuerunt, quae versio per Alexandrinos ad Romanos pervenisse videtur. Apud Sophoclem legimus Aiac. 189 sq.:

Οἱ μεγάλοι βασιλῆς ἢ (sc. ὁ) *τᾶς ἀσώτου Σισυφιδᾶν γενεᾶς,*

ad quae scholiasta adnotat: *τὸν δὲ Ὀδυσσέα Σισύφου συνήθως φησὶ Σοφοκλῆς καὶ Αἰσχύλος ἐν Ὅπλων κρίσει* (cf. frg. 175 Nauck²);

Philoct. 417: *Οὐδ' οὑμπολητὸς Σισύφου Λαερτίῳ,*

apud Euripidem Cycl. 102:

Οἶδ' ἄνδρα, κρόταλον δριμύ, Σισύφου γόνον.

Iph. Anl. 520: *Τὸ Σισύφειον σπέρμα πάντ' οἶδεν τάδε,*

apud Lycophronem 1030:

Τοῦ Σισυφείου παιδὸς ὀχθηρὰν ἄκραν κ. τ. λ.

ad quae scholiasta adnotat: *ἡ Ὀδυσσεία ἄκρα, ἡ τοῦ Ὀδυσσέως· Σισύφου γὰρ αὐτόν τινές φασι παῖδα.*

Apud Homerum unum patronymicum inveni, quod de avo, non de filio sumptum est, nempe *Aeacides* patronymicum pro Achille (cf. Il. XI 805; Od. XI 471. 538). Quam inusitatum hoc antiquissimis temporibus fuerit, etiam ex eo cognosci potest, quod Diomedes, Tydei filius, Oenei nepos, apud Homerum (Il. X 497) *Oenidae filius* dicitur, apud Euripidem et postea simpliciter *Oenides* (cf. ind.).

Liceat cum Ulixe *Aeolide* commemorare alios Aeoli liberos, qui apud Romanos exstant. Filiorum Athamas et Salmoneus hoc

patronymico ornati sunt, filiarum Canace et Alcyone; praeterea Phrixus, Athamantis filius (Apoll. Rhod. IV 117), Cephalus, Misenus.

Pro *Canace* iam apud Callimachum (hymn. VI 100) *Aeolis* invenitur, pro *Alcyone* apud Ovidium solum, sed hunc in hac fabula Nicandrum secutum esse effici videtur ex Probi adnotatione ad Verg. G. I 399 p. 44 Keil: „Varia est opinio harum volucrum (alcyonum) originis. Itaque in altera sequitur Ovidius Nicandrum, in altera Theodorum. Putatur enim Ceyx, Luciferi filius, cum Alcyone, Aeoli filia, mutatus in has volucres. Idem refert Alcyonem, Scironis filiam, latronis Attici, Polypemonis filii, cum pater ei praeciperet, ut quaereret maritum, arbitratam permissum sibi, ut concumberet, cum quibus vellet, ab irato patre deiectam in mare, mutatam in hanc volucrem."

Ad quae Schneider (Nicand. p. 68) addit: „Priorem fabulam Ovidius enarrat Met. XI 270 sqq., alteram brevissime attigit Met. VII 401, ut plurima de suo Probus ex Theodori metamorphosibus (de quibus cf. Meineke An. Al. p. 269) addidisse videatur. Nam priorem (Met. XI 270 sq.) — ubi etiam Aeolis vocabulum invenitur — e Nicandro haustam ab Ovidio fabulam esse ipse quo Probus usus est ordo docere videtur" (cf. M. Wellmann, Hermes XXVI 515 sq.). Qua in re cum Schneidero consentio, quapropter etiam metonymica *Trachinius* et *Lucifero natus*, quae in eadem narratione Ovidiana pro Ceycis, Alcyones coniugis nomine, exstant, ad Nicandrum refero (cf. Apollod. II 7, 6).

Athamas ab Apollonio Rhodio (III 361. 1093 alias), item Phrixus, Athamantis filius (II 1141. III 584), *Aeolides* vocatur, quod exemplum docet, Romanos, cum hoc patronymicum ipsi nepoti tribuunt, Apollonium Rhodium, poetam Alexandrini aevi, secutos esse.

Pro *Salmoneus* iam Hesiodus *Aeolides* vocabulo usus est (cf. Tzetz. ad Lyc. 284, huius opusculi p. 8).

Pro *Cephalus* et *Misenus* autem apud Romanos solos *Aeolides* legitur. Sed Aeolus, Miseni pater, amici et comitis Aeneae, a Vergilio fictus esse videtur. Cephalum vero, filium Deionis (*Θηβαϊκά* apud Suid. et Phot. s. v. *Τευμησία*. *Νόστοι* apud Paus. X 29, 6. Callim. hymn. III 209: *Κεφάλου Δηιονίδαο*. Apollod. I 86 Wagner) filii Aeoli iam ab Alexandrinis *Aeoliden* vocatum esse verisimile est.

In fabulis, in quibus de Aurorae amore Cephali agitur (Apollod. III 181; Hyg. f. 160), Cephalus Mercurii filius appellatur, quare Ovidius eum modo *Aeoliden,* modo *Cyllenium* vocat (cf. Hom. Hym. II 304. 318).

Quod Tyro *Salmonis* dicitur, ad Od. XI 236 sq. referendum esse videtur, ubi legimus:

Ἔνϑ' ἤτοι πρώτην Τυρὼ ἴδον εὐπατέρειαν,
Ἣ φάτο Σαλμωνῆος ἀμύμονος ἔκγονος εἶναι.

Conferri potest Hesiodi fragmentum (Kinkel p. 101); Lucian. Tim. 2; Apollodorus I 90.

Nunc redeamus ad Ulixis genus et fata.

Laertae nepos, quod Silius pro Telegono posuit, apud alium non vidi, sed Ulixem ex Circe Telegonum genuisse Hesiodus (Theog. 1011 sqq.) docet:

Κίρκη δ', Ἠελίου ϑυγάτηρ Ὑπεριονίδαο,
Γείνατ' Ὀδυσσῆος ταλασίφρονος ἐν φιλότητι
Ἄγριον ἠδὲ Λατῖνον ἀμύμονά τε κρατερόν τε
Τηλέγονόν τε ἔτικτε διὰ χρυσέην Ἀφροδίτην.

Homerus id solum narrat, Ulixem cum Circe concubuisse (Od. X 345 sq.). Conferas Propertii *Aeaeum* Telegonum II 23, 42.

Quia ad Ulixem pertinent Polyphemus, Calypso, Circe, Sirenes, hoc loco de his disserere licebit.

Polyphemus apud poetas Romanos modo *Aetnaeus*, modo *Neptunius* vocatur. *Aetnaeus* ex Euripidis Cyclope fluxisse potest, ubi legimus 297:

... γῆς γὰρ Ἑλλάδος μυχοὺς οἰκεῖς
Ὑπ' Αἴτνῃ τῇ περιστάκτῳ πέτρᾳ.

Neptunius vocabulum certe ex Alexandrinis sumptum est; nam scholiasta ad Apoll. Rhod. I 40 dicit: *Τὸν Πολύφημον Ἐλάτου παῖδα εἶπεν Ἀπολλώνιος· Ἰσοκράτης δὲ καὶ Εὐφορίων Ποσειδῶνος* (cf. frg. 144 Meineke An. Al. p. 149).

Pro *Calypso* apud Propertium *Aeaea* legitur, cum apud Homerum Circes insula Aeaea (Od. X 135), Calypsus insula Ogygia (Od. VII 244) vocetur. Propertius fortasse errans (cf. Immisch apud Roscherum II 942, 20) Circes insulae nomen Calypsus domicilio tribuit. In libri alterius carminis 23 versu 42 idem Propertius Telegonum *Aeaeum* i. e. Circes filium nominat.

Circen filiam Solis, neptem Titanis Hyperionis fuisse, testatur Hesiodus (Theog. 1011) dicens:

Κίρκη δ' Ἠελίου θυγάτηρ Ὑπεριονίδαο.

Conferas etiam Homerum (Od. XI 35 sqq. et XII 176). Sed quamquam haec Circes origo inde ab Homero notissima est, apud Latinos solos patronymicum *Titanis* pro Circe inveni.

Sirenes Acheloi filias et Pausanias (IX 34, 2) et Apollodorus (I 18) nominat. Romanos *Acheloides* patronymicum ab Alexandrinis accepisse cognosci potest ex Apollonio Rhodio (IV 893), qui dicit:

Σειρῆνες σίνοντ' Ἀχελωΐδες· ἡδείῃσιν
Θέλγουσαι μολπῇσιν κ. τ. λ.

In Odyssea (XII 39 sqq.) pater Sirenum non commemoratur. Ab Acheloo, qui fluvius in finibus Acarnaniae et Aetoliae defluit, *Acheloius* ethnicum formatum est, quod apud poetas Romanos idem dicit, atque *Aetolus;* quapropter Statius Tydeum, quem iam Homerus *Aetolum* (Il. IV 399), etiam *Acheloium* sc. virum nominat. Praeterea Romani Tydeum et Diomedem, Tydei filium, *Calydonios* et Tydeum modo *Olenium* modo *Oleniden* appellant.

Calydonius vocabulum referri potest ad Theocritum, qui XVII 53. 54 dicit:

Ἀργεία κυάνοφρυ, σὺ λαοφόνον Διομήδεα
Μισγομένα Τυδῆι τέκες Καλυδώνιον ἄνδρα.

Theocritus autem ex Homeri Iliade hausisse videtur, nam II 638 sqq. legimus:

Αἰτωλῶν δ' ἡγεῖτο Θόας, Ἀνδραίμονος υἱός,
Οἳ Πλευρῶν' ἐνέμοντο καὶ Ὤλενον ἠδὲ Πυλήνην,
Χαλκίδα τ' ἀγχίαλον Καλυδῶνά τε πετρήεσσαν·
Οὐ γὰρ ἔτ' Οἰνῆος μεγαλήτορος υἱέες ἦσαν.

Ex quibus versibus apparet, etiam Olenum urbem dicionis regum Aetolorum fuisse; sed si fabulam sequemur, Tydeum per Periboeam matrem suam ex ipsa gente Olenis ortum esse intellegemus. Olen poeta lyricus ex Lycia in Graeciam venisse et Apollinis vates fuisse dicitur.

Callimachus enim dicit (h. IV 305 sq.):

Οἳ μὲν ὑπαείδουσι νόμον Λυκίοιο γέροντος,
Ὅν τοι ἀπὸ Ξάνθοιο θεοπρόπος ἤγαγεν Ὠλήν.

Quem Olenem heroem eponymum Oleni urbis fuisse docet Crusius (cf. Roscheri lex. mythol. I 2807, 51 sqq. et Apollodor. I 74. 75). Apollodorus refert haec:

Ὁ γράψας τὴν Θηβαΐδα πολεμηθείσης Ὠλένου λέγει λαβεῖν Οἰνέα γέρας ταύτην (sc. *Περίβοιαν*), *Ἡσίοδος δὲ ἐξ Ὠλένου τῆς Ἀχαΐας, ἐφθαρμένην ὑπὸ Ἱπποστάτου τοῦ Ἀμαρυγκέως, Ἱππόνουν τὸν πατέρα πέμψαι πρὸς Οἰνέα πόρρω τῆς Ἑλλάδος ὄντα, ἐντειλάμενον ἀποκτεῖναι. εἰσὶ δὲ οἱ λέγοντες Ἱππόνουν ἐπιγνόντα τὴν ἰδίαν θυγατέρα ἐφθαρμένην ὑπὸ Οἰνέως ἔγκυον αὐτὴν πρὸς τοῦτον ἀποπέμψαι. ἐγεννήθη δὲ ἐκ ταύτης Οἰνεῖ Τυδεύς* (cf. Hyg. f. 69. 70; Paus. X 451; Diod. IV 35).

Utrum Romani Tydeum ex gente Olenis ortum esse existimaverint an *Olenius* vocabulum sicut *Aetolus* et *Calydonius* ethnicum solum fuerit, diiudicari non potest. Equidem putaverim, eos in ponendo hoc vocabulo sicut in aliis Alexandrinos esse secutos (cf. Steph. Byz. s. v. *Ὠλένιος* et Anth. Pal. VII 723 epigr. anonymi poetae).

A Diomede, Tydei filio, alter discernendus est, rex Bistonum, gentis Thraciae (cf. Steph. Byz. et Et M. s. v. *Βίστονες*; Apollod. II 5, 8), quem Vergilius et Lucanus simpliciter *Bistonium* nominant. De hoc Diomede, cuius equos *ἀνθρωποφάγους* Hercules Eurystheo adducere iussus erat, Euripides (Herc. fur. 380 sqq.) egit, sed *Bistonius* ibi non invenitur.

Pro Achille et eius patre Peleo (cf. ind.) apud Romanos *Phthius* sc. vir legitur. Quod vocabulum ex Alexandrinorum carminibus manasse verisimile est; nam Callimachus carmen de Peleo fecit, ex quo fragmentum 218 esse videtur, quod dicit:

Οὐδ' ἔτι δὴν Φθίων εἶχεν ἀνακτορίην.

Et apud Apollonium Rhodium legimus (I 94):

Πηλεὺς δὲ Φθίῃ ἔνι δώματα ναῖε λιασθείς.

Sine dubio Alexandrini Homerum secuti sunt. Sic enim dicit Phoenix ad Achillem (Il. IX 438 sq.):

. . . σοὶ δ' ἅμ' ἔπεμπε γέρων, ἱππηλάτα Πηλεύς
Ἤματι τῷ, ὅτε σ' ἐκ Φθίης Ἀγαμέμνονι πέμπεν,

quocum conferatur IX 479 et XI 766.

Phthia pars Thessaliae est, quapropter identidem etiam *Thessalus* vocatur (cf. Eurip. Tro. 30; Arist. Pepl. 4 apud Bergkium Poet. lyr. II 345). Pro *Thessalus* vocabulo apud poetas Romanos interdum *Haemonius* dicitur, quod ethnicum ab Haemone sumptum est, quem Thessali patrem fuisse docet Rhianus in scholio ad Apollonium Rhodium (III 1090; cf. Strabo IX 443; Plin. N. H. IV 28). Vocabulum ipsum iam apud Alexandrinos invenitur; Apollonius Rhodius dicit (III 1090):

Αἱμονίην δὴ τήν γε (sc. Thessaliam) *περικτίονες καλέουσιν.*

III 1244 idem poeta *πέτρην Αἱμονίην* commemorat, II 504 terram *Αἱμονίην*, II 507 incolas *Αἱμονιῆες* (cf. Call. frg. 133b: *εἰς ἀρχαίην Αἱμονίην*).

Sicut Achilles, ita eius filius Neoptolemus, a poetis Latinis modo *Haemonius* modo *Aeacides* vocatur. *Aeacides,* quod patronymicum apud Homerum (Od. XI 539) Achilli soli tributum est, apud Romanos ad Aeaci pronepotem transfertur.

Neoptolemus in insula Scyro natus et educatus esse narratur in Iliade (XIX 326 sqq.), in Odyssea (XI 506 sqq.), in Sophoclis Philoctete (239—243. 459. 470), et planius, ut dicit Apollodorus (III 174), in Cypriis (cf. Paus. X 26, 4). Ab hac insula Scyro Deidamia, Lycomedis regis Scyri filia, ex qua Achilles Neoptolemum genuit, apud poetas Romanos interdum *Scyrias* appellatur. Quamquam hoc ethnicum ipsum in Alexandrinorum carminibus non iam invenitur, tamen eos auctores Romanorum fuisse ex Bione conicere licebit, in cuius idyllio II (Meineke) legimus (v. 5 sqq.):

Σκύριον, ὦ Λυκίδα, ζατῶ μέλος ἁδὺν ἔρωτα,
Λάθρια Πηλείδαο φιλάματα, λάθριον εὐνάν,
Πῶς πεδαμεύσατο φᾶρος, ὅπως δ' ἐψεύσατο μορφάν,
Χὤπως ἐν κώραις Λυκομηδίσιν ἀπαλέγοισαι
Ἀηδήνηα τὰ παστὸν Ἀχιλλέα Δηιδάμεια

(cf. Quint. Smyrn. VII 228 sqq. et Procl. Chrest. l. I apud Kinkel frg. ep. p. 19).

Pro Patroclo, Achillis amico, *Actorides* ponitur, quod vocabulum fortasse ex Homeri carminibus fluxit; nam in Iliade Patroclus saepissime *Menoetiades* nominatur (cf. ind.), et Menoetius in eodem carmine *Actoris filius* est (cf. Il. XI 785).

Aeacum, Achillis proavum, filium Iovis et Aeginae Asopi filiae fuisse, fabulae omnes narrant (cf. Hes. frg. apud Tzetz. ad Lyc. 176 = frg. ep. Kinkel p. 119; Plato Gorg. 526 E; Nicander apud Ant. Lib. XXXVIII, Schn. p. 51; Apollod. III 157; Hyg. f. 52. 155; Diod. IV 72; Paus. II 29, 2), sed *Asopiades* pro Aeaco et *Asopis* pro Aegina apud Romanos solos inveni.

Aegina insula ab Asopi filia nominata, antea Oenone vocata erat, ut testatur Tzetzes ad Lycophronem (175) dicens: *Ἡ γὰρ Αἴγινα πρότερον Οἰνώνη ἐλέγετο ἀπὸ Οἰνώνης τῆς Βουδίωνος θυγατρὸς καθά φησι Πυθαίνετος ἐν τῷ πρώτῳ τῶν Αἰγινητῶν· Αἴγινα δὲ μετεκλήθη, ὡς πάντες φασίν, ἀπὸ Αἰγίνης τῆς Ἀσωποῦ.* Romani autem alteram versionem sequentes, quae Oenonen Cebrenis filiam esse tradit, pro Oenone *Cebrenis* vocabulo usi sunt. Et haec versio etiam apud Alexandrinos invenitur, ut ex Nicandro (apud Parth. Erot. 4) et ex Apollodoro (III 157) cognosci potest (cf. *Κεβρηνὶς νύμφα* Christodor. ecphr. 220).

Altera filia Asopi Antiope fuisse traditur (Od. XI 260; Asius frg. ep. 1 Kinkel; Apoll. Rhod. I 735), quae erat mater Amphionis et Zethi. In scholio ad Odysseam (XI 260; Eust. 1682, 43) et in scholio ad Apollonium Rhodium (I 735) ab hac Antiope discernitur altera, quae Nyctei filia appellatur. Scholiasta ad Apollonium dicit: *δύο Ἀντιόπαι ἐγένοντο, ἡ μὲν Νυκτέως, ἡ δὲ Ἀσωποῦ;* in scholio ad Odysseam legimus: *Ἀσωποῖο θυγάτρα, οἱ δὲ τραγικοὶ Νυκτέως, Νυκτέως αὐτὴν οἱ νεώτεροι.* Utrumque scholium W. Radtke Aristodemo tribuit (Hermes XXXVI p. 66 sq.), quare concedere nos opus est, Romanos, qui pro Antiope *Nycteis* vocabulum ponunt, ex Alexandrino fonte hausisse.

Aias, Oilei filius, in urbe Naryce in Locride sita natus esse dicitur (cf. Plin. N. H. IV 27; Steph. Byz. s. v. *Νάρυξ*; Strabo IX 425). *Narycius* ethnicum pro Aiace apud Ovidium solum scriptum vidi.

Protesilaus, Phylaci nepos et rex Phylaces Thraciae (Il. II 695—700; Pind. I. I 59), apud Propertium et Ovidium *Phylacides* sive *Phylaceius* vocatur. In Iliade Iphiclus, Protesilai pater, *Phylacides* dicitur, nam in libro altero legimus v. 705 sq.:

Ἀλλά σφεας κόσμησε Ποδάρκης, ὄζος Ἄρηος,
Ἰφίκλου υἱὸς πολυμήλου Φυλακίδαο,
Αὐτοκασίγνητος μεγαθύμου Πρωτεσιλάου,

et Apollonius Rhodius Alcimeden, Iphicli sororem, *Φυλακηΐδα* nominat (I 47). Ex his vestigiis sequi puto hoc patronymicum ex Iliade per Alexandrinos ad Romanos venisse.

Pro Laodamia, Protesilai uxore, Peliae regis Iolci nepte, a Phyllo, urbe Thessalica, apud Ovidium solum *Phylleia* exstat. Homerus (Il. II 701) Protesilai uxorem quidem commemorat, sed ne nomen quidem ibi invenitur. Ex Euripidis tragoedia *Laodamia* complura fragmenta servata sunt (Nauck p. 443 sq.), sed vestigium vocabuli *Phylleia* non praebent. De fabula ipsa conferas Hyg. f. 104. 243. 251. 256.

Naupliades, quod patronymicum apud poetas Latinos pro Palamede legitur, ex Alexandrinorum carminibus fluxisse verisimile est. Nam Eustathius ad Odysseam 1397, 8 adnotat: *ὁ τὰ περὶ ἑλληνικῆς παιδιᾶς γράψας διαφορὰν καὶ αὐτὸς εἰδὼς κύβων καὶ πεσσῶν — παλαιοτάτην εἰπὼν τὴν κυβευτικὴν παιδιάν, παράγει Σοφοκλέους μὲν ἐκ Παλαμήδους τὸ Οὗτος ἐφεῦρε πεσσοὺς κύβους τε τερπνὸν ἀργίας ἄκος, καὶ Εὐφορίωνος τὸ Πεσσὰ Ναυπλιάδαο* (cf. Eur. Hel. 767 et Apollod. II 23 et III 15).

Haec sunt, quae de nominibus Graecorum inveni; nunc ad nomina Troianorum transibimus.

Troianorum gentis regiae auctor Iuppiter habetur, a quo Homerus originem eorum, qui in bello Troiano excellebant, sic ducit:

Iuppiter
|
Dardanus
|
Erichthonius
|
Tros

- Ilos,
  - Laomedon
    - Tithonus, Priamus etc.
      - Hector, Paris, Helenus etc., Cassandra etc.
- Ganymedes,
- Assaracus
  - Capys
    - Anchises ‿ Venus
      - Aeneas
        - Ascanius

(cf. Ilias XX 215 sqq.).

Gens Troiana in Homeri carminibus modo *Τρῶες* (Il. VII 307. 343. VIII 252 alias), modo *Δάρδανοι* (Il. II 819. V 789), modo *Τρῶες καὶ Δάρδανοι* (Il. VII 348. 368. 414. VIII 154 alias) vocatur. Quia autem pars Troianorum Phryges sunt, apud poetas posteriores Troiani saepissime *Phryges* sive *Phrygii* appellantur. Testis est Euripidis tragoedia *Φρύγες*, cuius fragmenta pauca exstant, nec minus Euripidis Helenae versus 39, Orestis 1486. 1526; et cum nomine proprio coniunctum invenitur *Φρύγιος* vocabulum in Orestis versu 1482, ubi legimus: *Ἕκτωρ ὁ Φρύγιος.* Hoc ethnicum et multa alia metonymica, quae apud poetas Romanos pro singulis Troianis leguntur, in numero communium haberi possunt. Sic legimus pro Paride modo *Troianus*, modo *Dardanius*, modo *Laomedonteus*, modo *Phrygius;* pro Hectore identidem *Dardanius;* pro Ganymede *Iliacus*, et quia in Ida monte oves patris pavisse narratur (Nonn. Dion. XV 280. XXV 430) *Idaeus;* pro Aenea modo *Troianus*, modo *Iliacus*, modo *Phrygius*, modo a monte Rhoete in Mysia sito (Herodot. VII 43) *Rhoeteius*, modo *Dardanius*, modo *Laomedonteus*, modo *Cythereius;* pro Anchise *Phrygius;* pro Ascanio modo *Dardanius*, modo *Phrygius;* pro Cassandra *Iliaca;* pro Capye *Dardanius.*

Idaeus vocabulum pro Ganymede apud Alexandrinos non repperi, sed adiectivum *Idaeus* videmus apud Apollonium Rhodium (III 134), ubi legimus: *ἐν ἄντρῳ Ἰδαίῳ*, ad quod scholiasta adnotat: *ἢ τῷ τῆς Κρήτης ἢ τῷ τῆς Τροίας· ἀντιποιοῦνται γὰρ καὶ Τρῶες τῆς τοῦ Διὸς γενέσεως καθά φησι Δημήτριος ὁ Σκήψιος.*

Rhoeteius ethnicum pro *Troianus* apud Alexandrinos exstitisse pro certo haberi posse mihi videtur ex verbis, quae scholiasta ad Lycophronis v. 1161 adnotat: *Σιθῶν βασιλεὺς Θρᾳκῶν, ἀφ' οὗ ἡ Θρᾴκη Σιθωνία, ἀφ' ἧς τόπος ἐν Τροίᾳ Ῥοίτειον προσαγορευόμενος· ἀπὸ τοῦ Ῥοιτείου ὅλην τὴν Τροίαν φησί* (cf. ed. Kinkelii).

Ex quo fonte *Cythereius* pro Aenea manaverit, facile cognoscitur. In Iliade (II 820) legimus:

Αἰνείας τὸν ὑπ' Ἀγχίσῃ τέκε δῖ' Ἀφροδίτη

et in Hesiodi Theogonia (1008):

Αἰνείαν δ' ἄρ' ἔτικτεν ἐϋστέφανος Κυθέρεια.

Etiam Lycophron Aeneam Veneris filium nominat, sed ipsum Veneris nomen metonymice exprimit; in versu 1234 enim dicit:

Ὁ Καστνίας τε τῆς τε Χειράδος γόνος,

ad quae scholiasta (ed. Kinkel) adnotat: *Καστνία καὶ Ταύχειρα ἡ Ἀφροδίτη, παρὰ τὸ χειροῦσθαι διὰ τῆς ἐπιθυμίας.*

Commemoratu dignum mihi videtur, quod Aeneas etiam *Laomedonteus* vocatur, cum Laomedon patruus eius sit. Idem nobis in *Helle* occurrit, quae a Cretheo, patruo suo, *Cretheia* appellatur.

Pro Hecuba, Priami uxore, apud Ovidium solum *Dymantis* exstat, quod vocabulum, nisi ex Alexandrinorum carminibus nobis non servatis acceperunt Romani, ex Iliade hausisse eos apparet, nam ibi XVI 717 sq. legimus:

Ἀσίῳ ὃς μήτρως ἦν Ἕκτορος ἱπποδάμοιο,
Αὐτοκασίγνητος Ἑκάβης, υἱὸς δὲ Δύμαντος.

Altera versio, quae Hecubam Cissei filiam esse vult, nobis apud Euripidem occurrit, qui in Hecubae versu tertio dicit:

Πολύδωρος Ἑκάβης παῖς γεγὼς τῆς Κισσέως.

Euripidem etiam Nicander secutus est, qui in scholio ad Eurip. Hec. v. 1 Hecubam *Κισσηίδα* vocasse dicitur (Nicandrea Schneid. p. 67). Has duas versiones Apollodorus commemorat, dicens (III 148): *Πρίαμος δευτέραν ἔγημεν Ἑκάβην τὴν Δύμαντος, ἢ ὥς τινές φασι Κισσέως.*

Pro Andromache, Hectoris uxore, Eetionis Thebani filia, apud Romanos solos *Thebais* legitur. Etiam hoc ethnicum ex Homeri Iliade fluxisse videtur, nam VI 395 sqq. scripta videmus:

Ἀνδρομάχη θυγάτηρ μεγαλήτορος Ἠετίωνος·
Ἠετίων, ὃς ἔναιεν ὑπὸ Πλάκῳ ὑληέσσῃ
Θήβῃ ὑποπλακίῃ Κιλίκεσσ' ἄνδρεσσιν ἀνάσσων.

Atlantis, quod vocabulum apud poetas Romanos pro Electra, Atlantis filia, Dardani et Eetionis matre exstat, ab Alexandrinis acceptum esse testatur Apollonius Rhodius (I 916) et Lycophron (72), apud quos hoc ipsum patronymicum invenitur (cf. Conon XXI; Apollod. III 10, 1; Schol. Eurip. Phoen. 1129; Schol. Ap. Rhod. I 916).

Licebit hoc loco commemorare Romanos saepe *Aeneadas* vocari. Servius ad Aen. I 273 adnotat: „Naevius et Ennius Aeneae ex filia nepotem Romulum conditorem urbis tradunt", et ad Aen. VI 77: „Secundum Ennium referetur (Romulus) inter deos cum Aenea; dicit nempe Iliam fuisse filiam Aeneae". Sed haec fabula ipsa ab Alexandrinis ficta esse videtur. Accius fabulam praetextam, quae *Aeneadae* sive *Decius* inscribitur, composuit (cf. Ribbeck Scaen. Rom. poes. frg. I 281). Exstat hoc vocabulum etiam apud Polystratum Anth. Pal. VII 297 et apud Diod. Sard. ibid. IX 219 et apud Hadrian. ibid. VI 332.

In Italia Aeneas cum Turno congressus esse fertur, qui Dauni filius, principis Rutulorum, apud Vergilium solum a patre suo *Daunius* appellatur. Hic Daunus discernendus est ab altero, prisco rege Apuliae (cf. Wissowa apud Roscherum I 964, 60).

Commemoretur hic etiam Proteus, ille *γέρων ἅλιος* (Od. IV p. 365), quem in insula Pharo prope Aegyptum sedem suam habuisse narrat Homerus (Od. IV 355 sqq.), quare in versu 385 eum *Aegyptium* vocat. Similiter Euripides refert (Hel. 2 sq.):

Πρωτεὺς δ' ὅτ' ἔζη, τῆς δε γῆς τύραννος ἦν,
Φάρον μὲν οἰκῶν νῆσον, Αἰγύπτου δ' ἄναξ

(cf. Lycophr. 115 et schol. ad h. l. Conon apud Hoeferum p. 56 sq.). Ovidius et Statius Proteum *Carpathium* vatem appellant, quod ethnicum a mari Carpathio sumptum est; mare ipsum autem ab insula Carpatho nomen accepit. In hac insula, inter Cretam et Rhodum sita (Hom. Il. II 676; Herodot. III 45), Neptuni, Protei patris, templum erat, de quo Hiller de Gaertringen (Inscr. Gr. Insul. I p. 158) scribit: „Fretum vero, cui erat Porthmos, Neptuni Porthmi templo fuit insigne, cuius situs nondum innotuit, quamquam titulis multis huc illuc transportatis in universum significatur (cf. Arch. ep. Mitt. aus Oester. XVI 1893 p. 106 sq.; Ptol. Geogr. V 2)". Etiam Ross (Reisen auf den griech. Inseln III 1845 p. 50 sq.) multa de insula refert, sed de Proteo *Carpathio* nihil. Quapropter iure conicimus, Proteum non ab insula, sed a mari Carpathium vocari, quod confirmatur per Vergilium, qui dicit (G. IV 387):

Est in Carpathio Neptuni gurgite vates
Caeruleus Proteus . . .

Ovidius igitur et Statius Vergilium secuti sunt, num Vergilius in hoc dicto ex Alexandrino fonte hauserit diiudicare non possum.

Denique commemorem, Homerum apud poetas Romanos modo *Maeonium* sive *Maeoniden,* modo *Smyrnaeum* appellari. Maeon secundum Ephorum (apud Plut. de vita et poes. Hom. I 2) tutor matris Homeri habetur, secundum Homeri et Hesiodi certamen (c. 2) pater Homeri matris, secundum Aristotelem (Plut. l. c.) Lydiae rex, qui etiam Smyrnae regnator erat, et tutor Homeri. Sive igitur Homerus Maeonides vocatur, quia Lydus erat, sive quia poetae eum a Maeone ortum esse putabant, certissimum est, iam Alexandrinos hoc vocabulo usos esse (cf. Hellan. Damast. Pherecyd. in Procli vita Hom. Müller F. H. G. I 46 frg. 6. Antip. Sidon. Anth. Pal. VII 2).

Maeonia vocabulum, quod apud Romanos pro Lydia legimus, etiam apud Alexandrinum poetam invenitur. Iam Homerus quidem Maeones commemorat. Sic legimus Il. II 864:

Μῄοσιν αὖ Μέσθλης τε καὶ Ἄντιφος ἡγησάσθην,
Υἷε Ταλαιμένεος, τὼ Γυγαίη τέκε λίμνη,
Οἳ καὶ Μῄονας ἦγον ὑπὸ Τμώλῳ γεγαῶτας,

et Il. III 4:

Ἄξεις ἢ Φρυγίης ἢ Μηονίης ἐρατεινῆς

(cf. Il. V 43; X 43).

Hanc regionem Maeonum eandem esse, quam posteriores Lydiam vocabant, cognosci potest ex Il. XX 385 sqq., ubi legimus Iphitionem, Gygaees filium, natum esse:

Τμώλῳ ὑπὸ νιφόεντι Ὕδης ἐν πίονι δήμῳ . . .
390: . . . . *ἐπὶ λίμνῃ*
Γυγαίῃ, ὅθι τοι τέμενος πατρώϊόν ἐστιν,
Ὕλλῳ ἐπ' ἰχθυόεντι καὶ Ἕρμῳ δινήεντι.

Sed nomen Lydiae apud Homerum nusquam exstat, quare scholiasta ad Il. X 431 adnotat: *ὅτι Ὅμηρος οὐκ οἶδε καλουμένους Λυδούς, ἀλλὰ Μῄονας.*

Lydiae nomen post Homerum saepe legitur (cf. Bacchyl. frg. 14; Pind. O. I 23; Aeschyl. Suppl. 553 etc.). Alexandrinos autem Lydos *Maeones* nominasse, ex Callimacho apparet, qui dicit (h. IV 249 sq.):

Ἡ μὲν ἔφη· κύκνοι δὲ θεοῦ μέλποντες ἄοζοι
Μηόνιον Πακτωλὸν ἐκυκλώσαντο λιπόντες κ. τ. λ.

Maeonem regem Lydiae fuisse etiam Diodorus (III 58) et Stephanus Byzantius (s. v. *Μηονία*) referunt.

Apud Romanos imprimis Omphale et Arachne *Maeonides* vocantur. Omphale apud omnes, qui de ea agunt, Lyda significatur (Apollod. II 131; Diod. IV 31; Paus. I 35, 18). Wilamowitzius Creophylum Samium, qui de Euryti fabula et Oechalia expugnata scripsit, Omphales fabulam ex Thessalia in Lydiam transtulisse putat (cf. J. Sieveking apud Roscherum III 872, 40). In Sophoclis Trachiniis identidem Omphale *Lyda* appellatur. Sic legimus de Hercule v. 70:

Λυδῇ γυναικί φασί νιν λάτριν πονεῖν

et v. 248 sq.:

. . . τὸν μὲν πλεῖστον ἐν Λυδοῖς χρόνον
Κατείχεθ᾽, ὥς φησ᾽ αὐτὸς οὐκ ἐλεύθερος,
252: Κεῖνος δὲ πραθεὶς Ὀμφάλῃ τῇ βαρβάρῳ
Ἐνιαυτὸν ἐξέπλησεν, ὡς αὐτὸς λέγει

(cf. v. 354. 452).

Scholiasta ad Apollonium Rhodium (I 1289) dicit: *Ἔφορος ἐν τῇ ε̄ φησὶν αὐτὸν* (Herculem) *ἑκουσίως ἀπολελεῖφθαι πρὸς Ὀμφάλην τὴν Λυδῶν βασιλεύουσαν.*

Arachne, quae cum Minerva de arte texendi certabat, *Lyda* habetur apud Nonn. XVIII 215. In aevi Alexandrini carminibus eam non inveni.

Lydiae finitima est Caria, ubi fabulae de Byblide, Cauno, Endymione geruntur.

Byblis, Mileti filia, apud poetas Romanos *Miletis* vocatur; quod vocabulum ex Alexandrinis fluxisse inde conici potest, quod Nicaenetus apud Parth. Erot. XI et Nicander apud Ant. Lib. XXX hanc fabulam tractasse narrantur. Etiam Conon de Byblide et Cauno egit (II), cuius fontem Apollonium Rhodium fuisse Hoefer demonstravit (Conon p. 51). Caunus, Byblidis frater, *Maeandrius* dicitur a Maeandro flumine aut ab avo suo Maeandro. De hoc vocabulo idem dicendum est quod de *Miletis* pro Byblide (cf. Nicandrum apud Ant. Lib. XXX, Schneid. p. 55; Schol. Theocrit. I 1; VII 15).

Endymion in Caria apud Heracleam in antro Latmi montis dormire fertur somnum aeternum. Ab hoc monte *Latmius* ethnicum desumptum est, quod poetae Romani Endymioni tribuunt. Auctor Apollonius Rhodius fuisse potest, nam IV 57 sq. dicit *θεὰ Μήνη*:

Οὐκ ἄρ᾽ ἐγὼ μούνη μετὰ Λάτμιον ἄντρον ἀλύσκω,
Οὐδ᾽ οἴη καλῷ περιδαίομαι Ἐνδυμίωνι.

De Endymionis fabula autem scripserunt Hesiodus, Pisander, Acusilaus, Pherecydes, Theopompus epicus, Sappho et Nicander, ut docet scholiasta ad hunc Apollonii locum (cf. Plat. Phaedon 72 C; Theocrit. XX 37. III 49; Strabo XIV 636).

Cariam attingit Phrygia, quare nunc de huius terrae nomine et fabulis pauca dicam.

Pro *Phrygius* vocabulo apud poetas Romanos *Mygdonius* et *Sangarius* dicitur. Quae vocabula ad Homerum referri possunt, qui dicit Il. III 185 sqq:

Ἔνθα ἴδον πλείστους Φρύγας ἀνέρας αἰολοπώλους
Λαοὺς Ὀτρῆος καὶ Μύγδονος ἀντιθέοιο
Οἵ ῥα τότ᾽ ἐστρατόωντο παρ᾽ ὄχθας Σαγγαρίοιο

(cf. etiam Il. XVI 719; Ap. Rh. II 722).

Quis vero Alexandrinorum *Mygdonius* aut *Sangarius* vocabulum pro *Phrygius* posuerit, non repperi. Apud Euphorionem quidem (frg. 153 Meineke An. Al. p. 153) Coroebus *Mygdonides* exstat, quem Vergilius (Aen. II 341) commemorat, sed hoc vocabulum patronymicum, non ethnicum est, nam apud Euripidem legimus (Rhes. 539):

Μυγδόνος υἱόν φασιν Κόροιβον.

Apud Romanos Tithonus, Laomedontis filius (Il. XX 237), *Mygdonius* et Cybele *Mygdonia* nominantur. Adiectivum *Mygdonius* pro *Phrygius* saepe invenitur apud Nonnum (cf. Dion. XVI 100; XXV 456; XXVIII 91; XXXVIII 11 etc.).

Attis apud poetas Latinos modo *Phryx*, modo *Sangarius*, modo *Berecyntius* dicitur, et Midas, Phrygius ille rex (Herodot. VII 73; VIII 138), apud Ovidium *Berecyntiades*.

Berecyntius et *Berecyntiades* de monte Berecynto sumptum esse apparet, et iam Alexandrinos hoc vocabulo usos esse cognosci potest ex Callimacho, qui dicit (h. III 245):

. . . . . ἔδραμε δ' ἠχὼ
Σάρδιας ἔς τε νομὸν Βερεκύντιον

(cf. Aesch. apud Strabo XII 580; Nonn. XIII 508; XL 140. 227 etc.).

Adonidem Ovidius *Cinyra creatum* et Myrrham, quae etiam Smyrna dicitur, *Cinyreiam* vocat. Apollodorus de Adonide haec refert (III 182): *οὗτος* (i. e. *Κινύρας*) *γήμας Μεδάρμην Ὀξύπορον ἐγέννησε καὶ Ἄδωνιν. . . . Ἡσίοδος δὲ αὐτὸν* (i. e. *Ἄδωνιν*) *Φοίνικος καὶ Ἀλφεσιβοίας λέγει, Πανύασις δέ φησι Θείαντος, βασιλέως Ἀσσυρίων, ὃς ἔσχε θυγατέρα Σμύρναν.* Altera versio, quae Myrrham filiam Cinyrae fuisse docet, apud Apollodorum non exstat, sed nobis servata est apud Hyginum (cf. f. 58. 161). Ovidius, qui hanc fabulae formam sequitur, fortasse haec patronymica ex Nicandro hausit, nam Nicandrum hanc fabulam Smyrnae, quae Adonidis mater fuisset, tractavisse, testatur Ant. Lib. XXXIV.

Priusquam ad Thraciam transeam, ea afferam, quae de Herus et Leandri fabula repperi. Ovidius Leandrum *Abydenum*, Heronem *Sestiam* sive *Sestiada* nominat, quae ethnica alias non inveniuntur. Etiam certum auctorem Alexandrini aevi, qui de hac fabula egerit, nominare non possumus, sed E. Rohde docet, necessario Musaeum in hac fabula ex fonte Alexandrino hausisse. Cum Musaeus — ita fere conicit E. Rohde in libro suo „Der griechische Roman“ p. 133 sqq. — in hac fabula explicanda sermone, qui „lutulentus fluit“ et quo Nonni schola uti solet, careat, cum versus magis politi et narratio iucunda defluat, nobis fatendum est, hoc ea sola de causa fieri posse, quod poeta auctoris sui Alexandrini vestigia diligentius et accuratius presserit (cf. Musaeum 255 sqq.; Anth. Pal. V 232. 263; IX 215. 381; Rohde, Der gr. Rom. p. 133—137). Etiam Georgius Knaack, qui Musaei carminis elegantiam minoris aestimat, Romanos ex fonte Alexandrino hausisse putat et hunc fontem Callimachum fuisse demonstrare studuit (cf. Festgabe für Susemihl 1898 p. 53 sqq.).

Thracia apud poetas Romanos *Bistonia* aut *Odrysia* vocatur, quae nomina de Bistonibus et Odrysis, gentibus Thraciae, sumpta sunt. De Odrysis refert Thucydides (II 29): *Ὁ δὲ Τήρης οὗτος ὁ τοῦ Σιτάλκου πατὴρ πρῶτος Ὀδρύσαις τὴν*

μεγάλην βασιλείαν ἐπὶ πλεῖον τῆς ἄλλης Θρᾴκης ἐποίησεν. De Bistonibus legimus apud Plinium (N. H. IV 42), ubi de Thracia agit: „Abdera libera civitas, stagnum Bistonum et gens.“ Alexandrinos *Bistonius* vocabulo pro *Thracius* usos esse aliquantulum cognosci potest ex scholio ad Ovid. Ib. 377, quod dicit: „Thracia Bistonia a Bistone palude dicta est; ibi auctore Callimacho in oppido Seris nomine multi viri a Lacedaemoniis interfecti sunt.“

Odrysius Orpheus exstat apud Cononem (XLV). Apud Phanoclem (Stob. flor. LXIV 14) de Orpheo *Threicio* legimus:

Τὸν μὲν Βιστονίδες κακομήχανοι ἀμφιχυθεῖσαι
Ἔκτανον . . .

Denique Pausaniae verba afferam, qui de Thamyride dicit (IV 33, 4): *Θαμύριδα παῖδα Φιλάμμωνος καὶ Ἀργιόπης τῆς νύμφης εἶναι. ἐπεὶ δὲ εἶχεν αὐτὸν ἐν γαστρὶ, ἐς Ὀδρύσας λέγουσι μετοικῆσαι καὶ Θάμυριν μὲν Ὀδρύσην τε καὶ Θρᾷκα ἐπὶ τούτῳ καλοῦσιν.*

Apud poetas Romanos pro Orpheo *Thracius* sive *Threicius*, *Bistonius*, *Odrysius*, *Rhodopeius* et a patre suo *Oeagrius* legitur. Orphei patriam Thraciam fuisse inter omnes constat (cf. Phanoclem in Stob. flor. LXIV 14; Conon. XLV; Orph. Argon. 78).

Odrysius in Conone (l c.) continetur, nam ibi legimus: *Ὀρφεὺς ὁ Οἰάγρου καὶ Καλλιόπης ἐβασίλευε Μακεδόνων καὶ τῆς Ὀδρυσίδος, ἐπετήδευε δὲ μουσικὴν καὶ μάλιστα κιθαρῳδίαν· καὶ ἤρεσκε τῷ πλήθει — φιλόμουσον γὰρ τὸ Θρᾳκῶν καὶ Μακεδόνων γένος.*

Rhodope mons apud Herodotum (IV 49), Thucydidem (II 96), Theocritum (VII 77 et in scholio ad h. l.) commemoratur, sed adiectivum apud neminem nisi apud Romanos invenitur.

Oeagri filius Orpheus saepe vocatur apud Apollonium Rhodium (cf. I 570; II 703; IV 905 sq.), et *Oeagrides* apud Nicandrum (Ther. 462). *Threicius Oeagrus* exstat apud Apollonium Rhodium (I 24 sq.).

Thamyris apud Statium *Geticus* appellatur. Thamyridem Thracem fuisse iam supra vidimus (Paus. IV 33, 4). Etiam apud Parthenium (Erot. XXXIX) Thamyris *Thrax* invenitur, et Acten, ubi nympham Thamyridem peperisse Conon (VII) narrat,

paeninsulam Chalcidices esse conicit Hoefer, quia auctores Thamyridem *Thracem* fuisse inter se consentiunt (Pherec. in schol. Od. XX 432; schol. Il. II 595; Hyg. 161; Paus. l. c.). Auctor omnium Homerus fuisse videtur, qui dicit (Il. II 594 sq.):

. . . . *ἔνθα τε Μοῦσαι*
ἀντόμεναι Θάμυριν τὸν Θρήικα παῦσαν ἀοίδης.

Geticus vocabulum autem pro *Thracius* legitur Themist. or. XI 146; Aelian. Nat. anim. XV 24; Lucian. Icar. 16; Scymn. 740.

Penthesilea et Hippolyte Amazones modo *Thraessae* modo *Thraeiciae* vocantur, quae ethnica, etiamsi apud Alexandrinos non inveniuntur, tamen usitata fuisse videntur. Nam in fragmento Aethiopidis, quod Kinkel p. 33 affert, legimus: *Ἀμαζὼν Πενθεσίλεια παραγίνεται Τρωσὶ συμμαχήσουσα Ἄρεως μὲν θυγάτηρ, Θρᾷσσα δὲ τὸ γένος.*

Commemorantur Amazones iam apud Homerum (Il. III 186; VI 186), sed patria non significatur. De Hippolyte agit Apollonius Rhodius (II 968—1016), de Penthesilea Quintus Smyrnaeus (I), sed hoc ethnicum ne apud eos quidem exstat. Herodotus (IV 110—117) Amazones, quae in Cappadocia habitassent, inde ad Scythiam, quae Thraciae finitima est, transmigrasse refert.

Tereus, coniunx Procnes, qui cum Philomela, uxoris sorore, concubuisse fertur, modo *Thracius*, modo *Bistonius*, modo *Odrysius* appellatur. *Odrysium* et *Bistonium* idem dicere quod *Thracium*, iam supra vidimus. Quo autem iure Tereus *Thracius* nominetur, cognosci potest ex iis, quae Hoefer (Conon p. 94 sq.) affert. Hoefer duas versiones distinguit, quarum altera Tereum regem Thraciae (Apollod. III 193; Schol. Arist. Aves 212; Ovid.), altera regem Daulidis fuisse vult (Thuc. II 29; Strabo VII 321; IX 423; Paus. I 41, 8; Conon XXXI). Auctorem, quem illi secuti essent, Sophoclem fuisse docet Hoefer; contra Sophoclem Thucydidem contendisse, Tereum non regem Thraciae, sed Daulidis nominandum esse. Sed cum Thucydides concedat, in Daulide Thraces consedisse, etiam qui Tereum regem Daulidis fuisse putabant, eum *Thracium* vocare poterant. Qua re fieri poterat, ut Ovidius in hac fabula cum Conone concineret.

Ut Tereus ita Philomela et Procne apud Romanos *Geticae* nominatae sunt. Praeterea a Daulide *Dauliades* et a patre suo

Pandione modo *Pandioniae* modo *Cecropides* appellantur; Pandion enim erat Athenarum tyrannus. *Daulias* iam a Thucydide commemoratur, qui dicit (II 29): *πολλοῖς δὲ καὶ τῶν ποιητῶν ἐν ἀηδόνος μνήμῃ Δαυλιὰς ἡ ὄρνις ἐπωνόμασται* (de fabula cf. Apollod. III 193; Herodot. VII 137; Thucyd. II 29; Paus. I 5, 4. X 4, 7; Eustath. Od. XIX 518; Hyg. f. 45).

Quem auctorem poetae Latini in hac fabula secuti sint, aperire non possumus, sed etiam Parthenium hanc clarissimam fabulam in metamorphosibus tractasse conicere licebit.

Iam pauca verba faciam de *Cecropides* vocabulo. Athenienses Cecropem urbis conditorem putasse nemo ignorat; quare apud omnes fere poetas *Cecropidae* pro Atheniensibus usitatum est (cf. Eur. Phoen. 858; Hipp. 34; Ion 307; Call. h. IV 315; Diosc. Anth. Pal. VII 708 al.).

Apud poetas Romanos praeterea *Cecropis* sive *Cecropides* exstat pro Aglauro, pro Philomela et Procne, pro Theseo.

Aglaurus non solum Atheniensis sed filia Cecropis fuisse dicitur (Apollod. III 180). Quae fabula vetus est, nam Aglauro ante Erechtheium arcis Atheniensis proprium templum erat iuxta Cecropis sepulcrum (Hellan. apud Suidam s. v. *Ἄρειος πάγος;* Herodot. VIII p. 53; Eur. Ion 495 cum 272 etc.; Roscheri lex. myth. I 1298, 55 sq.).

Theseum Atheniensem fuisse inter omnes constat, quare *Cecropides* vocabulum non offendit. A patre suo Aegeo saepe *Aegides* vocatur (cf. ind.), Romani eum etiam *Neptunium* vocant. Quamquam hoc patronymicum apud Alexandrinos non invenitur, fabula ipsa, quae Theseum Neptuni filium esse narrat, iam sexto saeculo ante Christum natum notissima est. Conferas Bacchylidis carmina XVII et XVIII, ex quibus unum locum afferam; XVII 33 sqq. legimus:

ἀλλὰ κἀμὲ (i. e. Theseum)
Πιτθέος θυγάτηρ ἀφνεοῦ
Πλαθεῖσα ποντίωι τέκεν Ποσειδᾶνι.

Testis est etiam tabula illa a Micone picta, in qua Theseum in profundum maris ad patrem suum Neptunum descendisse vasa nos docent (cf. C. Robert, Nekyia, 16. Hallisches Winckelmannsprogramm 1892). Etiam Lycophroni haec fabula nota est, nam

1324 Theseum *τὸν Φημίου* (h. e. Neptuni) *παῖδα* nominat (cf. Tzetz. ad Lyc. 495. 1324; Plato rep. III 391 D; Diod. IV 59; Plut. Thes. I 6; Hyg. f. 37. 47. 187).

Orithyiam, quam Boreas rapuit, Erechthei filiam fuisse secundum scholium ad Apoll. Rhod. I 211 Simonides in *Ναυμαχίᾳ* narravit. Romani, qui eam *Erechthida* vocant, certe Alexandrinos secuti sunt, nam Apollonius Rhodius eodem patronymico I 212 utitur.

Apud Ovidium etiam Procris *Erechthis* vocatur. Hanc versionem, quae Procrin Erechthei filiam esse tradit, apud Apollodorum solum repperi (III 196). Hyginus (f. 147) eam Pandionis filiam, et Servius (ad Aen. VI 445) Iphidis filiam nominat. De fabula conferas Eratosth. catast. I 33. Suidas s. v. *Τευμησία* = frg. ep. Kinkel p. 13; Schol. ad Od. XI 320.

Eryx *Erechthides* apud Ovidium solum exstat. Alter Eryx, Neptuni et Veneris filius, commemoratur apud Apollodorum II 111.

Quoniam de fabulis Atticis, quae ad hoc opusculum pertinent, disseruimus, nunc de fabulis Cretensibus disseremus, quae cum Atticis maxime conexae sunt.

Cretensis apud poetas modo *Dictaeus*, modo *Gortynius*, modo *Gnosius* vocabulo exprimitur. Etiam haec vocabula Romanos ex poetarum aevi Alexandrini carminibus hausisse testantur vestigia, quae adhuc detegi possunt. *Dictaeus* vocabulum a monte sumptum esse docet Callimachi hymni III versus 199:

Ὄρος δὲ Δικταῖον καλέουσιν.

Sed idem poeta hoc adiectivo pro Cretensi usus est, nam in hymno, quem in Iovis honorem composuit, legimus 4:

Πῶς καί νιν Δικταῖον ἀείσομεν ἠὲ Λυκαῖον,

et v. 46, qui Iovem in Creta educatum esse narrat:

Ζεῦ, σὲ δὲ Κυρβάντων ἑτάραι προσεπηχύναντο
Δικταῖαι Μελίαι . . .

(cf. Lycophr. 1300).

Gortynius et *Gnosius* ab urbibus sumpta sunt, quae iam apud Homerum commemorantur, Gortyn Od. III 294, Gnosus

Od. XX 591, Gortyn et Gnosus Il. II 646. *Gortynius* referri potest ad Callimachi hym. III 189 sqq.:

Ἔξοχα δ' ἀλλάων Γορτυνίδα φίλαο νύμφην
Ἑλλοφόνον Βριτόμαρτιν ἐΰσκοπον. ἧς ποτε Μίνως
Πτοιηθεὶς ὑπ' ἔρωτι κατέδραμεν οὔρεα Κρήτης.

Gnosius iam apud Bacchylidem exstat, qui Theseum XVI 120 *Κνώσιον στραταγέταν* nominat.

Apud poetas Romanos Minos *Gortynius* et *Dictaeus*, Ariadne, eius filia, *Cressa* et *Gnosia*, Mopsus *Gortynius* dicitur.

Minos, rex Cretensis, Europae filius (Bacchyl. I 124; Nicander apud Polluc. V 38 sq., Schneider p. 125), nepos Agenoris (cf. *Europa* in indice), quare etiam *Agenoreus* vocatur, ex Pasiphae Ariadnen, Phaedram, Glaucum genuit (Il. XVIII 589 sq.; Eur. frg. 378; Apoll. Rhod. III 997 sqq.; Plut. Thes. XIX 20; Hyg. f. 42; Schol. Od. XI 321; Apollod. III 7). Ex his locis allatis cognoscitur Romanos notissimam fabulam secutos esse cum Glaucum *Minoium*, Pasiphaen, Ariadnen, Phaedram *Cressas* appellarent.

Mopsus Mantus et Rhacii filius fuisse dicitur apud auctores Thebaidis secundum scholium ad Ap. Rhod. I 308. Quem Rhacium *Mycenaeum* fuisse testantur iidem auctores. O. Immisch cum O. Mueller consentiens hanc Mycenen Cretensem esse putat (cf. Jahrbücher für klass. Phil. Suppl. XVII 1890 p. 166 sq.). Sic intellegi potest, cur Silius Mopsum *Gortynium* appellet (cf. Paus. VII 3, 2).

Pro Scylla, Nisei filia, quae amore Minois capta huic patrem prodidit, apud Vergilium et Ovidium *Niseis* legitur. Vetustissima descriptio huius fabulae apud Aeschylum exstat, qui in Choeph. p. 596 sqq. dicit:

ἄλλαν δή τιν' ἐν λόγοις στυγεῖν
φοινίαν Σκύλλαν,
ἅτ' ἐχθρῶν ὑπαὶ
φῶτ' ἀπώλεσεν φίλον Κρητικοῖς
χρυσοκμήτοισι ὅρ-
μοις πιθήσασα δώροισι Μίνω
Νῖσον ἀθανάτας τριχός
νοσφίσασα προβούλως
πνέονθ' ἁ κυνόφρων ὕπνῳ.

Fortasse Ovidius ex tragoediis hausit, nam Trist. II 293 sq. legimus:

Impia nec tragicos tetigisset Scylla cothurnos,
Ni patrium crinem desecuisset amor

(cf. Soph. frg. 872 N.²; Hellan. apud Apollod. III 206—211). Alexandrinorum verisimillimum est Callimachum in Aetiis (cf. frg. 184, apud Schneid. II 112) et Parthenium in metamorphosibus (Meineke An. Al. p. 270 sq.) de hac fabula egisse. Ovidium Parthenium secutum esse putat E. Rohde (Der gr. Roman p. 93 sq.).

Praeter Athenienses in Graecia media Thebani fabulis maxime excellunt. A Cadmo urbis conditore incolae Thebarum inde ab Homero *Cadmei* vocantur (cf. ind.). Cadmum Agenoris filium fuisse testantur Hesiodus apud Apollodorum (III 1), Bacchylides (frg. 10*), scholium ad Il. I 42. Totum stemma eius generis Euripides nobis tradit (cf. Phoen. prol. et v. 215. 291 et Penthei stemma vide in Eur. Bacchis).

Stemma autem hoc est:

Agenor‿Telephassa
Europa, Cadmus, Phoenix, Cilix
Minos (Europa) | (Cadmus)
Echion‿Agaue — Polydorus
Pentheus — Labdacus
Laius‿Iocaste
Oedipus
Antigone, Ismene, Eteocles, Polyn.

(cf. Aeschyli Septem: Laius-Eteocles). Europam et Cadmum Phoenicis Agenoris filii liberos fuisse docet Il. XIV 322 et Hegesippus apud Conon. XXXII (Hoefer p. 55), de ceteris omnes inter se consentiunt. Apollodorus Hesiodum sequens l. c. refert: *Ἀγήνωρ δὲ παραγενόμενος εἰς Εὐρώπην γαμεῖ Τηλέφασσαν καὶ τεκνοῖ θυγατέρα μὲν Εὐρώπην, παῖδας δὲ Κάδμον καὶ Φοίνικα καὶ Κίλικα.*

Quare Thebani *Tyrii* vel *Sidonii* nominentur, docet Eurip. Phoen. v. 639 ubi legimus:

Κάδμος ἔμολε τάνδε γᾶν Τύριος,

et scholium ad Aesch. Septem 486: *Ἀγήνωρ ὁ Τύριος παῖδας ἔσχε τρεῖς· Εὐρώπην, Κάδμον καὶ Κίλικα* (cf. Herodot. V 58; Eur. frg. 819 N.[2]). Tyri loco modo Sidon Phoenicia ponitur. Sic legimus Eur. Phoen. 6:

ἐκλιπὼν . . . . Φοίνισσαν χθόνα.

Eur. Bacch. 163 sq.:

ὃς πόλιν Σιδωνίαν
λιπὼν ἐπύργωσ' ἄστυ Θηβαίων τόδε.

Idem in peplo Theophrasti traditum est (cf. Wendling, De peplo Aristotelico p. 30). Et Nicander dicit (Ther. 608):

Σιδονίου Κάδμοιο θεμείλιον Ἁρμονίης τε.

Romanos, cum Cadmum *Sidonium* vel *Tyrium* et Europam *Tyriam* vel *Sidoniam* vocaverint, poetas tragicos et Alexandrinos secutos esse apparet.

Pro Agaue apud Latinos *Cadmea* legitur, ut pro Semele, eius sorore iam apud Homerum (Hymn. VII 57), quas filias Harmoniam Cadmo peperisse docet Hesiodus Theog. 975 (cf. Theocr. XXVI 1 sqq.; Apollodor. III 26; Hyg. f. 179. 184).

Cadmeus vocabulum, quod pro Antigona, Eteocle, Polynice exstat, in numero communium haberi potest.

Praeterea autem apud Statium Eteocles *Agenoreus*, *Labdacius*, *Tyrius*, *Echionius*, *Aonius* dicitur, Polynices apud eundem *Labdacius* sive *Labdacides*, *Echionides* sive *Echionius*, *Thebanus*, *Tyrius*, *Dircaeus*, *Ismenius*. Haec varia vocabula, quibus Statius usus est, non omnia in aliorum carminibus inveniuntur, sed *Agenoreus*, *Labdacius*, *Tyrius* facile ex genealogia notissima hauriri possunt. Praeter testimonia supra allata conferas Aesch. Sept. Soph. Oed. T. et C., Antig., Eurip. Phoen. Apollod. III 54. 55; Hyg. f. 66. 76.

Echionius de Echione, uno ex Spartis, Agaues coniuge (Eur. Bacch. 322), sumptum est, qui ex Agaue Pentheum genuit (cf. Eur. Bacch. Apollod. III 30). *Echionides* apud Statium solum invenitur. *Dircaeus* vocabulum a fonte Thebano sumptum iam prioribus temporibus exstat. Sic legimus Eurip. frg. 819:

Κάδμος . . . Διρκαῖον οἰκήσας πέδον

et Eurip. Phoen. 1030 sqq.:

Διρκαίων ἅ ποτ' ἐκ
τίπων νέους πεδαίρουσ'
ἄλυρον ἀμφὶ μοῦσαν
ὀλομέναν τ' Ἐρινύν
ἔφερες ἔφερες ἄχεα πατρίδι κ. τ. λ.

Aonius pro Thebano Alexandrinis temporibus usitatum est; nam Apollonius Rhodius dicit III 1179:

Ἀονίοιο δράκοντος, ὃν . . . . . Κάδμος πέφνεν,

et III 1185:

Κάδμος Ἀονίοισιν ἐνισπείρας πεδίοισιν.

Romani hoc epithetum etiam Tiresiae et Herculi tribuunt. *Ismenius* vocabulum de flumine desumptum est, quod Callimachus commemorat h. IV 75 sq.:

φεῦγε καὶ Ἀονίη τὸν ἕνα δρόμον, αἳ δ' ἐφέποντο,
Δίρκη τε Στροφίη τε μελαμψήφιδος ἔχουσαι
Ἰσμηνοῦ χέρα πατρίς κ. τ. λ.

Adiectivum *Ismenius* legitur iam apud Pindarum P. XI 10: Ἰσμήνειον δ' ὀνύμαξεν ἀλαθέα μαντείων θῶκον. De Apolline Ismenio conferas Herodot. I 52. V 59—61; Paus. IV 27, 6; Plut. Sol. IV 5; Nonn. Dion. V 101; Schol. Ap. Rh. I 537.

Hyantius, quod apud Romanos pro *Boeoticus* exstat eaque de causa Actaeoni tribuitur, ab Hyantibus, gente Boeotica, derivatum iam apud Apollonium Rhodium legitur (III 1242): κατ' ἄλσος Ὑαντίου Ὀρχηστοῖο (vide schol. ad h. l.).

Actaeon apud poetas Latinos praeterea *Aristaei filius* et *Autonoëius* dicitur. Eum filium Aristaei et Autonoës Cadmi filiae esse docet Hesiodus (Th. 975). De Aristaeo et Autonoë conferas Apollonium Rhodium (II 506 sqq.) et scholium ad II 512.

Callimachus Actaeonem commemorat h. V 107 sqq., ubi legimus:

Πόσσα μὲν ἁ Καδμηὶς ἐς ὕστερον ἔμπυρα καυσεῖ,
Πόσσα δ' Ἀρισταῖος, τὸν μόνον εὐχόμενοι
Παῖδα, τὸν ἡβατὰν Ἀκταίονα, τυφλὸν ἰδέσθαι.

Quae mihi satis esse videntur ad demonstrandum Romanos etiam in hac fabula ex Alexandrino fonte hausisse (cf. Eurip. Bacch. 223; Schol. Pind. O. II 40; Diod. IV 2, 1 sq.).

Phineus, Agenoris filius, apud Apollonium Rhodium (II 178. 240. 426. 490) et deinde apud Valerium Flaccum *Agenorides* vocatur. Hunc illum secutum esse nemo ignorat (cf. schol. ad h. l.).

Hercules, ut iam supra dixi, apud poetas Romanos *Aonius* appellatur; praeterea *Tirynthius* et *Oetaeus*.

Tirynthius etiam apud Callimachum invenitur (h. III 146 et frg. an. 239), et *Tirynthia* pro Alcmene iam in Eur. Alc. 850.

Oetaeus vocabulum ab Oeta monte sumptum, ubi Hercules se combussisse narratur (Soph. Trach. 1191 sqq.), apud Alexandrinos non inveni, sed Alexandrinos fontem fuisse verisimile est, praesertim cum Nicandrum *Οἰταϊκά* scripsisse certissimum sit (cf. Schneider Nicandrea p. 133).

Pro Oedipode simpliciter *Thebanus* dicitur, cuius vocabuli auctorem quaerere opus non est.

Niobe apud poetas Romanos modo *Thebana*, modo *Sipyleia*, modo *Tantalis* vocatur.

Tantalis exstat pro Niobe etiam in Anth. Plan. 132, et eam Tantali filiam fuisse apud Sophoclem (Antig. 823) legitur (cf. Apollod. III 45). De Sipylo saxo legimus apud Homerum (Il. XXIV 615) haec:

Νῦν δέ που ἐν πέτρῃσιν ἐν οὔρεσιν οἰοπόλοισιν
Ἐν Σιπύλῳ, ὅθι φασὶ θεάων ἔμμεναι εὐνὰς
Νυμφάων, αἵτ' ἀμφ' Ἀχελώιον ἐρρώσαντο,
Ἔνθα λίθος περ ἐοῦσα θεῶν ἐκ κήδεα πέσσει.

Etsi hunc locum spurium esse iam Aristophanes et Aristarchus cognoverunt, nihilominus haec versio, quae Nioben ad Sipylum venisse refert, vetus est. Scholia ad Il. XXIV 602. 613. 617 hanc versionem ad Xanthum et Pherecydem et, ut Radtke (Hermes XXXVI p. 66 sq.) putat, ad Aristodemi *Θηβαϊκά* referunt. Legimus enim: *ἡ δὲ συμφορὰ αὐτῆς ὡς μέν τινες ἐν Λυδίᾳ, ὡς δ' ἔνιοι ἐν Θήβαις, Σοφοκλῆς δὲ τοὺς μὲν παῖδας ἐν Θήβαις ἀπολέσθαι, νοστῆσαι δὲ αὐτὴν εἰς Λυδίαν* (cf. Antig. 823—832 *Σιπύλῳ πρὸς ἄκρῳ*).

Ad v. 617 scholiasta dicit: *οὐκ ἄρα ἐλιθώθη καθ' Ὅμηρον. Φερεκύδης δὲ ἐν ῃ· ἡ δὲ Νιόβη ὑπὸ τοῦ ἄχεος ἀναχωρεῖ εἰς Σίπυλον καὶ ὁρᾷ τὴν πόλιν ἀνεστραμμένην καὶ Ταντάλῳ λίθον ἐπικρεμάμενον· ἀρᾶται δὲ τῷ Διὶ λίθος*

γενέσθαι· ῥεῖ δὲ ἐξ αὐτῆς δάκρυα καὶ πρὸς ἄρκτον ὁρᾷ (cf. Quint. Smyrn. I 291 sq.).

Liceat hoc loco etiam Didonem et Annam afferre, quas Romani modo *Phoenissas*, modo *Sidonias*, modo *Tyrias* vocant. Servius ad Aen. I 338 dicit, Didonem ab Agenore, rege Phoenicum sive Sidonis sive Tyri ortam esse. Hanc fabulam ante Vergilium a Naevio tractatam esse testatur Servius ad Aen. IV 9, ubi legimus: „Anna soror, cuius filiae fuerint Anna et Dido, Naevius dicit." Primus, quantum nos quidem ex litteris conicere possumus, Timaeus Didonem commemoravit (cf. frg. 23, Müller I 197 et Iustin. XVIII 4, 3—6. 8).

Poetas Romanos sicut Alexandrinos pro *Thessalus* vocabulo *Haemonius* usos esse iam supra, cum de Achille locuti sumus, diximus (cf. Call. frg. 113b; Apoll. Rhod. II 504. 507. III 1244). Qua re apud poetas Romanos etiam Iason, cuius patria Iolcus Thessalica est (Hes. Theog. 997; Pind. P. IV 118; Apoll. Rhod. I 906), *Haemonius* dicitur.

Pro Helle, Athamantis filia (Aesch. Pers. 71; Apoll. Rhod. I 927), apud Valerium Flaccum solum a patruo semel *Cretheia* legitur. Pro Iasone Lycophron 872 *Crethei nepos*, pro Aesone Pindarus P. IV 152 et Apollonius Rhodius III 357 *Crethides* vocabulo utitur. Iam supra vidimus, Vergilium similiter Aeneam *Laomedonteum* nominavisse.

Tiphys, Hagniae filius, cuius patria Thespiae Thessalicae sunt, et qui Argus navis gubernator erat, apud Valerium Flaccum modo *Hagniades*, modo *Thespiades* appellatur. Ut in aliis, sic in his vocabulis Apollonium Rhodium secutus esse videtur, nam apud Apoll. Rh. I 105 legimus:

Τῖφυς Ἁγνιάδης Σιφαέα κάλλιπε δῆμον
Θεσπιέων, ἐσθλὸς μὲν ὀρινόμενον προδαῆναι
Κῦμ' ἁλὸς εὐρείης κ. τ. λ.

Ad quae adnotat scholiasta: *Σιφαεὺς δὲ δῆμος Θεσπιέων, Θέσπεια δὲ πόλις Θεσσαλίας. Φερεκύδης δὲ Ποτνιέα ἱστορεῖ τὸν Τῖφυν, ὁ δὲ Αἰσχύλος ἐν τῇ Ἀργοῖ τὸν Τῖφυν Ἶφυν καλεῖ* (cf. Apoll. Rh. I 1296. II 557; Orph. Arg. 120. 540; Apollod. I 111).

Amycus, rex Bebrycum, ab Ovidio simpliciter *Bebryx*, et Pyrene, Amyci filia, *Bebrycia* nominatur. Fabula, quae Argonautas cum Amyco rege Bebrycum manus conseruisse et Amycum a Polluce interfectum esse narrat, apud Apollonium Rhodium invenitur, qui librum alterum ita incipit:

Ἔνθα δ' ἔσαν σταθμοί τε βοῶν αὖλίς τ' Ἀμύκοιο
Βεβρύκων βασιλῆος ἀγήνορος . . .

Conferas etiam Theocriti carmen XXII, quod totum de Polluce et Amyco agit (Euphor. frg. 104, Meineke An. Al. p. 130; Apollod. I 119; Hyg. f. 17; Serv. ad Aen. V 373).

Hoc loco etiam Hypsipyle commemoretur, ad quam, cum in insula Lemno esset, Argonautae venisse dicuntur (Il. VII 468 sqq.). Apud poetas Latinos modo *Thoantias*, modo *Lemnias* vocatur, quorum vocabulorum utriusque auctor Apollonius Rhodius est, nam I 637 *Thoantias*, I 653. 1206 *Lemnias* exstat (cf. I 621. 717; Schol. Ap. Rh. I 601. 624; Orph. Arg. 469 sqq.; Apollod. I 114. 115; Tzetz. ad Lyc. 1374).

Cytaïs, quod vocabulum apud Romanos pro Medea invenitur, certe ad Alexandrinos referri potest. Nam Call. frg. 113 b legimus:

ἀπ' Αἰήταο Κυταίου.

Apoll. Rhod. II 4 et III 228:

Αἰήταο Κυταιέος.

Lycophron (174) Medeam *Κυταϊκήν*, Euphorion (frg. X, Meineke An. Al. p. 45) *Κυτηιάδα Μήδην* nominat. *Κυταίς* in scholio ad Ap. Rhod. II 399 invenitur. — Sed *Phasias*, quod apud Latinos pro Medea legitur, apud Alexandrinos non repperi. Phasis flumen Colchidos saepe commemoratur. Sic legimus Theocrit. XIII 75:

Πεζᾷ δ' ἐς Κόλχους τε καὶ ἄξενον ἵκετο Φᾶσιν

(cf. Pind. P. IV 375; Apoll. Rhod. II 401 et schol. ad h. l.).

Erysichthon, qui *cereale nemus violasse securi* et a Cerere *pestifera fame* vexatus esse fertur, apud Ovidium *Triopëus*, et Mestra, Erysichthonis filia, modo *Erysichthone nata*, modo *Triopëis* dicitur. Alexandrinos in hac fabula Romanorum auctores fuisse apparet ex Callimachi hymn. VI 79 sqq. (cf. Call. frg. 40. 54; Lycophron 1393 et schol. ad h. l. Nicand. apud Ant. Lib. XVII, Schneid. p. 54).

Thessalus, quod vocabulum pro Erysichthone et Admeto invenitur, inter usitata referri potest. Admetus enim saepissime filius Pheretis, regis Pherarum Thessalicarum nominatur (cf. Pind. P. IV 224; Soph. frg. 353; Apoll. Rhod. I 49 et scholium). Erysichthonis autem fabulam in Thessalia poni docent auctores supra citati.

Caeneus, Elati filius, qui in urbe Atrace in Perrhaebia i. e. Thessalia natus esse traditur, apud Romanos solos *Elateius*, *Atracides*, *Phylleius*, *Perrhaebus* appellatur. Fortasse Nicander auctor Romanorum fuit, nam eum hanc fabulam tractasse docet Ant. Lib. XVII (Schn. p. 54), ubi legimus: *ὅτε Καινὶς μὲν Ἄτρακος οὖσα θυγάτηρ βουλῇ Ποσειδῶνος ἐγένετο Καινεὺς ὁ Λαπίθης.*

Ad *Perrhaebum* conferas Il. II 746 sq.:

Τῷ δὲ Ἐνιῆνες ἕποντο μενεπτόλεμοί τε Περαιβοί
Οἳ περὶ Δωδώνην δυσχείμερον οἰκί' ἔθεντο
Οἵτ' ἀμφ' ἱμερτὸν Τιταρήσιον ἔργ' ἐνέμοντο.

Titaresius pro *Thessalicus* invenitur etiam apud Apoll. Rhod. I 65 cum Mopsi nomine coniunctum. Phyllus urbs Thessaliae commemoratur Strab. IX 435; Steph. Byz. s. v. *Φύλλος*.

In Thessalia accidisse dicitur etiam quod de Deucalione et Pyrrha narratur.

Deucalion ab Ovidio *Promethides* nominatur. Quod patronymicum apud Alexandrinos non inveni, sed rem, nam Apoll. Rh. dicit III 1086 sqq.: *ἔνθα Προμηθεύς*
Ἰαπετιονίδης ἀγαθὸν τέκε Δευκαλίωνα,
et scholiasta adnotat: *ὅτι Προμηθέως καὶ Πανδώρας υἱὸς Δευκαλίων Ἡσίοδος ἐν πρώτῳ καταλόγων φησίν* (cf. Apollod. I 48. 49; Hellan. frg. 15, Müller I 48; Hesiod. in schol. ad Od. X 2 = frg. ep. Kinkel p. 93).

Pyrrham, quae apud Ovidium modo *Epimethis*, modo *Titania* appellatur, Epimethei filiam fuisse testatur Pindarus (O. IX 46); Epimetheum et Prometheum Titanis Iapeti filios fuisse docet Hes. Th. 507 et Apoll. Rhod. l. c.

Titan Prometheus exstat apud Euripidem (Phoen. 1129). Ab Apollonio Rhodio Brimo, Promethei filia, *Titanis* vocatur (III 865), quod demonstrat metonymica de filia ad neptem iam

ab Alexandrinis translata esse (cf. Hes. in schol. Ap. Rh. IV 266; III 1086; Hyg. f. 142; Apollod. I 48. 49).

Pro Arcadia iam Pindarus *Parrhasius* vocabulo utitur, post eum Alexandrini ut Callimachus (hymn. I 10; III 99; frg. 368; frg. an. 312), Apollonius Rhodius (II 521). Poetae Romani praeterea eodem sensu *Parthenius*, *Maenalius*, *Nonacrius*, *Tegeaeus*, *Erymanthius* vocabulis utuntur.

Maenalia etiam apud Alexandrinos invenitur. Callimachus dicit h. III 88 sq.:

Ἀρκαδικὴν ἔπι Πανός· ὁ δὲ κρέα λυγκὸς ἔταμνε
Μαιναλίης, ἵνα οἱ τοκάδες κύνες εἶδαρ ἔδοιεν,

et 224: *Τάων Μαιναλίη νᾶεν φόνῳ ἀκρώρεια,*

et Apollonius Rhodius de Ancaeo I 168:

βῆ δ' ὅγε Μαιναλίης ἄρκτου δέρος . . .

(cf. scholium ad Ap. Rh. l. c. et Anth. Pal. VII 413 et Plan. 305).

Urbs *Nonacria* sive *Nonacrina* in Callimachi frg. 100[b] 2 commemoratur: *Νωνακρίνη τῆς Ἀρκαδίης.*

Erymanthus, fluvius Arcadiae, exstat apud Callimachum h. I 18, *Ἐρυμάνθιον τῖφος* apud Apoll. Rhod. I 127.

Tegeam urbem Apollonius Rhodius patriam Amphidamantis, Cephei, Ancaei nominat (I 161).

Parthenius vocabulum a monte Parthenio in Arcadia sito apud Pindarum (O. IV 150) cognomen Iunonis, apud Callimachum (h. III 110) cognomen Dianae est.

Auge, Alei filia, *Amphidamantis* et Cephei soror, apud poetas Romanos modo *Tegeaea* modo *Maenalis* vocatur. De eius patria conferas Apoll. Rhod. I 162 sq.; Soph. frg. 98—112; Apollodor. II 146. 147.

Eadem ethnica exstant pro Carmenta, Euandri matre (cf. Serv. Aen. VIII 336; Strabo V 230; Sol. I 10); et Euander, qui ex Pallantio Arcadico in Latium venisse et Romae loco urbem condidisse traditur, modo *Parrhasius*, modo *Arcadius*, modo *Nonacrius*, modo *Pallantius* appellatur. Sol. II 8 legimus: „Conditum est Tibur sicut Cato fecit testimonium a Catillo Arcade, praefecto classis Euandri.“ Planius de Euandri fabula disseruit Bormann, Sage vom Könige Euander, Programm Rossleben p. 4 sqq. Bormann suspicatur hanc fabulam Alexandri Magni aevo ortam

et Romanos Alexandrinum quendam secutos esse, sed certum auctorem reperiri non posse. Romanorum primum Cincium hanc fabulam tractasse ex Serv. ad Georg. I 10 sequitur, ubi legimus: „Cincius et Cassius aiunt ab Euandro Faunum deum appellatum“ (cf. Dion. Hal. I 31—33; Liv. I 5. 7; Iust. XLIII 1, 6; Dio Cass. frg. 3).

Ancaeus, Lycurgi filius, apud Ovidium *Lycurgides* et *Arcas* dicitur, quorum vocabulorum auctor Apollonius Rhodius fuisse videtur, nam I 161 sqq. legitur:

Καὶ μὴν Ἀμφιδάμας Κηφεύς τ' ἴσαν Ἀρκαδίηθεν,
υἷε δύω Ἀλεοῦ· τρίτατός γε μὲν ἕσπετ' ἰοῦσιν
Ἀγκαῖος, τὸν μέν ῥα πατὴρ Λυκόοργος ἔπεμπεν,

et I 398:

Ἀγκαίῳ, Τεγέης ὅς ῥα πτολίεθρον ἔναιεν

(cf. schol. ad I 164).

Callisto Arcadis mater apud poetas Latinos his epithetis ornata est: *Maenalis*, *Parrhasis*, *Erymanthis*, *Nonacria*, *Tegeaea, Lycaonis.* De ethnicis conferas, quae supra diximus. Eam autem Lycaonis filiam fuisse docet Hesiodus apud Eratosth. Catast. ed. Robert p. 50 = Olivieri I 1; Eumelus apud Apollodorum III 100 = frg. ep. 14. 15 K.; Callimachus (frg. 385 et *Λυκαονίης ἄρκτοιο* h. I 41). Asius eam filiam Nyctei putabat, Pherecydes filiam Cetei (cf. Apollod. III 96).

Pro Arethusa, quod nomen multis nymphis et fontibus tribuitur — Pape tredecim *Ἀρεθούσας* enumerat — apud Ovidium semel *Arcadiae virgo* legitur, quo nomine amasiam Alphei fluminis Arcadiae significat. Hoc flumen Il. XI 712 et Pind. O. II 25 commemoratur, Arethusa Pind. P. III 121 (cf. Arist. Aves 1121; Paus. V 7, 2; Schol. Pind. N. I 1 sq.).

Atalante apud Romanos modo *Schoeneis*, modo *Tegeaea* vel *Nonacria* vel *Erymanthia* nominatur. Apollodorus de ea nobis tradit (I 68): *Ἀταλάντη Σχοινέως ἐξ Ἀρκαδίας.* Atalantes patriam Arcadiam fuisse etiam ex Callimacho (cf. h. III 7 sq. cognosci potest; sed quis Alexandrinorum eam Schoenei filiam esse dixerit, non inveni.

Altera versio autem, quae eam Iasi filiam esse docet, apud Alexandrinos reperitur. Sic legimus Call. h. III 215 sq.:

Ἤινησας δ' ἔτι πάγχυ ποδορρώρην Ἀταλάντην
Κούρην Ἰασίοιο συοκτόνον Ἀρκασίδαο

(cf. Theocrit. III 41 sq.; Theognis 1288; Schol. Eur. Phoen. 150; Apollod. III 105). Romanorum poetarum hanc versionem Propertius secutus est, qui Atalanten *Iasida* nominat.

Meleager, filius Oenei, regis Calydonis Aetolicae, et Althaeae, Thestii filiae, in Iliade hisce verbis commemoratur (IX 529):

Κουρῆτές τ' ἐμάχοντο καὶ Αἰτωλοὶ μενεχάρμαι
Ἀμφὶ πόλιν Καλυδῶνα καὶ ἀλλήλους ἐνάριζον.
Αἰτωλοὶ μὲν ἀμυνόμενοι Καλυδῶνος ἐραννῆς·
550: *Ὄφρα μὲν οὖν Μελέαγρος ἀρηίφιλος πολέμιζεν*
Τόφρα Κουρήτεσσι κακῶς ἦν . . . .

Apud Callimachum (h. III 218) legimus: *Οὔ μιν* (sc. Atalanten) *ἐπίκλητοι Καλυδωνίου ἀγρευτῆρες Μέμφονται κάπροιο κ. τ. λ.* Nicander apud Ant. Lib. II refert: *Οἰνεὺς ἐβασίλευσεν ἐν Καλυδῶνι καὶ ἐγένοντο αὐτῷ ἐξ Ἀλθαίας τῆς Θεστίου Μελέαγρος, Φηρεύς, Ἀγέλεως, Τοξεύς, Κλύμενος, Περίφας, θυγατέρες Γόργη, Εὐρυμήδη, Δηιάνειρα, Μελανίππη.*

Apollonius Rhodius dicit (I 190):

Οἰνείδης δ' ἐπὶ τοῖσιν ἀφορμηθεὶς Καλυδῶνος
Ἀλκήεις Μελέαγρος ἀνήλυθεν . . . .

Ex quibus locis allatis cognosci potest, Romanos Alexandrinos poetas secutos esse, cum Meleagrum *Calydonium* et Deianiram eius sororem modo *Calydoniam* modo *Aetolida* nominent. Etiam *Thestiades*, quod vocabulum pro Meleagro apud Ovidium exstat, ex Alexandrino fonte haustum esse verisimile est (cf. Nicander l. c.).

Thestiadae vero apud Ovidium Plexippus et Toxeus, Thestii filii vocantur, sed Toxeum filium Thestii esse apud alium poetam non repperi. Apollodorus (I 62) Iphiclum, Plexippum, Eurypylum eius filios nominat, et Nicander Toxeum in filiis Oenei numerat (cf. Nic. l. c.).

Ischys, Elati filius et Coronidis, Phlegyae filiae, quae cum Apolline Aesculapium genuisse dicitur (Pind. P. III 8 sq. et schol. ad v. 14 sq. 60; Paus. II 26, 5; Hyg. f. 202; Apollod. III 118; Strabo IX 442), apud Ovidium solum *Haemonius* vocatur. *Haemonius* vulgo idem dicit, quod *Thessalus*, sed Ischys non *Thes-*

salus, sed *Arcas* est (cf. Eoear. frg. 87 et schol. Pind. P. III 14 et Paus. IX 36, 1, ubi Phlegyas, eius avus, rex Orchomeni Arcadiae dicitur). Quapropter hoc epithetum non pro *Thessalus* sed pro *Arcas* positum esse debet. Hoc fieri posse ex Pausania cognosci potest, qui dicit VIII 44, 2 Haemonem, Lycaonis filium, urbem Haemonias in Arcadia condidisse. Haemonium vocabulum hoc sensu apud alium poetam positum esse nullo exemplo confirmare possum. Fortasse Hecale Callimachi, si totum carmen servatum esset, nos de hac re doceret. Nam in hoc carmine de Coronidis filio actum esse testatur fragmenti a Th. Gomperz, Mitt. aus d. Samml. d. Papyr. Erzherzog Rainer VI p. 12 editi columna quarta, ubi legimus:

Ὁππότε κεν Φλεγύαο Κορωνίδος ἀμφὶ θυγατρός
Ἴσχυι πληξίππῳ σπομένης μιερόν τι πύθηται.

Aesculapius, ut modo dixi, Coronidis et Apollinis filius habetur (Hes. frg. Eoear. 50. 51; Hom. Hymn. 16; Pind. P. III; Paus. II 26, 4. 7; Diod. IV 71; Hyg. astr. II 40). Quare Ovidius eum modo *Coroniden*, modo *Phoebeium* vocat. Praeterea autem pro eius nomine *Epidaurius* sc. deus legitur, sed hoc epithetum nihil offendit, quia Aesculapium Epidauri in summo honore esse nemo ignorabat (cf. Isylli Paean apud Wilamowitz Is. p. 57 sq.; Paus. II 26, 6; Strabo VIII 374).

Restat, ut de Argorum et Lacedaemonis fabulis disseram.

Perseus Argivus apud poetas Romanos *Abantiades* vocatur ab Abante prisco rege Argorum, filio Lyncei et Hypermestrae (Pind. P. VIII 55; N. X. Apollod. II 24; Paus. II 16, 2. X 35, 1; Schol. ad Pind. P. VIII 73), patre Proeti et Acrisii (Apollod. l. c. Paus. l. c. Schol. Eur. Or. 965), cuius filia erat Danae (Apollod. II 26. 34; Pherecyd. in schol. ad Ap. Rh. IV 1091; Hyg. f. 155. 224), quacum Iuppiter Perseum genuisse fertur (Pherecyd. l. c. Il. XIV 319 sq. et schol. Hesiod. Sc. 216; Pind. P. XII 17; Soph. Antig. 944 sq.; Tzetz. ad Lyc. 838; Schol. Pind. P. X 72; Hyg. f. 63. 155).

Abantiades pro Proeto, Acrisii fratre, iam apud Bacchylidem (XI 40) invenitur; *Abantis filii* pro Proeto et Acrisio apud eundem XI 69. *Abantiades* Acrisius et *Abantiades* pro Perseo apud Ovidium solum.

Item complura alia metonymica pro Perseo apud Ovidium solum leguntur. Ab Acrisio, avo suo, *Acrisioniades*, a Lynceo, Abantis patre, *Lyncides*, ab Agenore, Abantis proavo, *Agenorides*, ab Inacho, primo rege Argorum, *Inachides*.

Ut melius, a quo metonymicum sumptum sit, cognoscamus, stemma eius generis afferre licebit.

Inachus
Iuppiter⌣Io — Iasus
|
Epaphus
|
Libye
Belus — Agenor
|
Damno, Beli fil.⌣Agenor } Pherecyd. frg. 40 in schol. Ap. Rh. III 1185.
Danaus — Aegyptus
| — |
Hypermestra⌣Lynceus
|
Abas
Acrisius, Proetus
|
Danae⌣Iuppiter
|
Perseus
|
Gorgophone

(cf. Oebalus apud Lacedaemon.)

Seriem ab Inacho usque ad Epaphum invenimus apud Bacchylidem XVIII 18. 41. 42, ab Ione usque ad Danaum apud Aeschylum Suppl. 149. 282—310; a Danao usque ad Perseum in tragoediis (Aesch. Prom. 865 et Thalamopoioi; Pind. N. X 6).

Ex hoc stemmate cognosci potest, quantum intersit inter patronymica aevi prisci et poetarum Romanorum.

Apud Hesiodum (Sc. 216) et Pindarum (P. XII 30) pro Perseo *Danaës filius* exstat, apud Hesiodum (Sc. 229) *Danaides*, sed poetae Romani metonymica non solum de matris nomine sumunt, sed etiam de avo ut *Acrisioniades*, de proavo ut *Abantiades*, tum de quarto antecedente membro generis ut *Lyncides*, deinde a

septimo membro ut *Agenorides*, denique ab undecimo membro ut *Inachides*. Quae ratio tam inusitata est, ut apud poetas doctissimi aevi Alexandrini eam ortam esse summo iure suspicemur, etiamsi ne vestigia quidem horum vocabulorum detegere possumus. Accedit, quod patronymicum *Acrisioniades* tam artificiose formatum est, ut iam hoc unum vocabulum originem Alexandrinam prae se ferre videatur. Neque enim ab Acrisio, sed ab Acrisione, Danaës patronymico, sumptum est, quod patronymicum invenitur Il. XIV 319 et Verg. Cat. IX 33 et versum pentametrum in hoc vocabulum *Ἀκρισιωνιάδης* exisse verisimile est (cf. Callim. frg. 1: *ἀμφιπεριктίονας*, Theognis 1058: *κ' ἀμφιπερικτίοσιν*, Tyrtaei IV 6: *ἀνταπαμειβομένους*). Inachus, filius Oceani et Tethyos (Aesch. Prom. 636; Dion. Hal. I 25 ex Sophoclea Inacho; Apollod. II 1; Hyg. f. 11) ut iam supra dixi primus rex Argorum habetur (Georg. Sync. apud Müllerum F. H. G. I 101, 13; Paus. II 15, 4), qui cum Melia (Tzetz. ad Lyc. 178) aut cum Argia (Hyg. f. 143. 145) Phoronem et Aegialeum et filiam Mycenam procreavit, quae ab Arestore Argum concepit (Paus. II 16, 3. 4). Imprimis autem Io Inachi filia dicitur apud poetas tragicos (cf. Aesch. Prom. 590. 663. 705; Herodot. I 1; Callim. h. III 254; Apollod. II 5).

Quin etiam Inachus auctor totius gentis putatur ita ut *Inachidae* idem dicat, quod *Argivi* (cf. Eur. Iph. A. 1086; Nicander Coloph. Anth. Pal. VII 526; Call. frg. an. 209). Apud poetas Latinos ea de causa etiam Adrastus, Talai filius, *Inachides* vocatur.

Praeter *Inachiden* Perseum e gente Inachi Epaphus, Iovis et Ionis filius (Aesch. Suppl. 282 sq.; Eur. Phoen. 679; Apollodor. II 6 sq.; Hyg. f. 145), et Danai filiae, quae vulgo Danaides dicuntur (Pind. N. X 1; Eurip. Phoen. 1675), a poetis Romanis *Inachides* appellantur.

Danaides etiam *Belides* nominantur, quia Danaus et Aegyptus Beli filii habentur (Herodot. II 91; Joh. Ant. ap. Müller F. H. G. IV 544, 15), quare et ipsi *Belidae* vocantur (cf. ind.). Item Lynceus, Aegypti filius et Beli nepos, *Belides* dicitur. De genealogia conferas, quae supra dixi.

Altera versio Ionem Iasi filiam fuisse narrat (Plut. de mal. Her. XIV 857 E; Paus. II 26, 5; Apollodor II 1, 1), quapropter

Valerius Flaccus eam *Iasiam* vocat et Argivi *Iasidae* et Adrastus *Iasides* nominantur. Adrastus praeterea semel apud Statium *Perseius* appellatur, ea sola de causa, nisi fallor, qua etiam *Inachides* et *Iasides* dicitur, quia nempe rex Argivus erat. Cf. Isocr. VI 18 et Antimachi Theb. frg. 25 Kink.

Ἄδρηστος Ταλαϊδης υἱὸς Κρηθηϊάδαο
Πρώτιστος Δαναῶν.

Negari non potest, poetam nescio quem Adrastum Persei generi inserere voluisse, ut testatur scholium ad Pind. P. VIII 73: *ὅτι Ἄβας ὁ Λυγκέως Ταλάου πατὴρ ἐξ οὗ Ἄδραστος,* contra quae scholium ad Pind. N. IX 30: *Βίαντος δὲ Τάλαος, οὗ Ἄδραστος.*

Identidem ethnicum *Argous* sive *Argolicus* sive *Argivus* apud poetas Romanos invenitur, ut pro Ione, pro Amphiarao, pro Catillo, pro Eurystheo, quos omnes Argivos esse fabula communis docet.

De Ione, regis Argorum filia, conferas locos supra citatos et Parthen. Erot. 1: *Ἁρπασθείσης Ἰοῦς τῆς Ἀργείας* etc. apud Meineke An. Al. p. 297.

De Amphiarao, cuius proavus Melampus Argos venisse et ibi consedisse traditur, confer Od. XV 225—248 et scholium ad Pind. N. IX 30.

De Eurystheo, Argorum rege, legimus in Iliade (XIX 122 sq.):

Ἤδη ἀνὴρ γέγον' ἐσθλός, ὃς Ἀργείοισιν ἀνάξει,
Εὐρυσθεὺς Σθενέλοιο πάϊς Περσηϊάδαο

(cf. scholium ad Od. IX 620 et Apollod. II 53).

Catillum Amphiarai filium fuisse et Tibur condidisse narrat Vergilius in Aen. VII 670 sq. Apud Latinos Amphiarai filii Catillus, Tiburtus et Cornas dicuntur (Aen. VII 670. XI 640; Horat. C. I 18, 2. II 6, 5; Plin. N. H. XVI 237); apud Homerum (Od. XV 248) Alcmaeon et Amphilochus.

Ut Adrastus *Perseius*, ita Amphiaraus *Danaeius* vocatur, quia rex Argivus habetur (Pind. N. IX 30). Conferas etiam *Danaidae* vocabulum quod pro *Argivi* exstat (Eurip. Or. 1250. 1276) et *Cecropidae*, quod pro *Athenienses* ponitur (cf. ind.).

Pro Alcmaeone, Amphiarai filio, apud Romanos *Amphiareiades* legitur. Fortasse Alexandrini etiam hoc vocabulo usi sunt, nam

in oraculo Anth. VI 13 Cougnii nobis servatum est. Certe auctor omnium est Homerus, Od. XV 243 sqq. nam legimus:

Ἀντιφάτης μὲν ἔτικτεν Ὀϊκλῆα μεγάθυμον,
Αὐτὰρ Ὀϊκλείης λαόσσοον Ἀμφιάραον,
Τοῦ δ' υἱεῖς ἐγένοντ' Ἀλκμαίων Ἀμφίλοχός τε.

Commemoretur hoc loco etiam Linus, qui nepos Crotopi, pronepos Agenoris regis Argorum nominatur. Apud Ovidium simpliciter *Crotopiades* dicitur, quod patronymicum ex Callimacho fluxisse testatur frg. 315, ubi idem patronymicum exstat. Callimachum in hac fabula auctorem Ovidii fuisse iam Hecker demonstravit (Commentatio critica de Anthol. Gr., Leyden 1843 apud Hoefer Conon p. 38). Plura de Lino invenies apud W. Radtke Hermes XXXVI 68 sq.

Denique liceat Andromedam et Medusam afferre, quae in Persei fabula commemorantur. Andromedam Cephei filiam fuisse memoriae tradit Apollodorus II 43 (cf. Aristoph. Thesm. 1012 et schol., 1056 et schol.; Eurip. apud Erat. Cat. I 15; Agatharch. apud Phot. Bibl. 442 a Bekker; Diod. IV 9).

Cepheis patronymicum apud Ovidium solum invenitur, sed terra Cephei in Nicandri Al. 100 *Cepheis* dicitur, ubi legimus:

Περσεὺς ἥν ποτε πόσσι λιπὼν Κηφηίδα γαῖαν;

et pro incolis huius terrae Cepheidae exstat apud Lyc. 834: *Ἐπόψεται δὲ τύρσιας Κηφηίδας;* ad quae scholiasta adnotat: *Ὁ δὲ Κιφεὺς Ἀνδρομέδας πατὴρ βασιλεὺς ἦν Αἰθιόπων καὶ ἐκ τούτου Κηφηίδας τοὺς Αἰθίοπας λέγουσιν.*

Medusa et aliae Gorgones filiae Phorci sive Phorcynis habebantur. Apud Hesiodum legimus (Th. 270 sqq.):

Φόρκυι δ' αὖ Κητὼ Γραίας τέκε καλλιπαρῄους.
274: *Γοργούς θ', αἳ ναίουσι πέρην κλυτοῦ Ὠκεάνοιο,*
Ἐσχατιῇ πρὸς νυκτός, ἵν' Ἑσπερίδες λιγύφωνοι,
Σθεινώ τ' Εὐρυάλη τε Μέδουσά τε λυγρὰ παθοῦσα,

et apud Aeschylum (Prom. 791):

Πρὸς Γοργόνεια πέδια Κισθήνης, ἵνα
Αἱ Φορκίδες ναίουσι δηναιαὶ κόραι.

Praeterea Aeschylus tragoediam *Φορκίδες* composuit (cf. frg. 262 N.² = Erat. Cat. I 22 (Olivieri); Pind. P. XII 20 sqq.; Euphorion. frg. 52 apud Meineke An. Al. p. 93).

Phorcynis igitur, quod apud Ovidium pro Medusa legimus, per Alexandrinos ad Romanos venisse videtur.

In poetarum Latinorum carminibus saepe *Oebalius* sive *Oebalides* vocabulum modo pro *Lacedaemoniis* in universum modo pro singulis personis scriptum videmus. Regum Lacedaemoniorum stemma hoc est:

Lelex
Myles Polycaon
|
Eurotas
|
Sparte ‿ Lacedaemon
|
Amyclas
Cynortas, Argelus, Hyacinthus
|
Oebalus ‿ Gorgophone, Persei filia
Tyndareus, Hippocoon, Icarius
Clytaemestra, Helena, Castor, Pollux

(cf. Paus. III 1, 3; Hyg. f. 78; Apollod. III 123; Paus. ex Sosibio sec. Hiller de Gaertringen ap. Pauly-Wissowa II 685, 60).

Altera versio, Oebalum patrem Arnes fuisse, quam Aphareus, rex Lacedaemoniorum, in matrimonium duxisset, exstat apud Pherecydem in scholio ad Ap. Rhod. I 152; Paus. IV 2, 3. V 5, 6; Apollod. III 123; Schol. B Il. II 581.

Stesichorus in schol. ad Lyc. 511 refert Cynortam fuisse patrem Perieris, cuius filium Oebalum esse. Haec versio, quae in ceteris nostro stemmati respondet, confirmatur etiam scholio ad Eurip. Or. 457, quod dicit: *Οἰβάλου τοῦ Περιήρους παῖδες οὗτοι· Τυνδάρεως, Ἴκαρος, Ἄρνη καὶ νόθος ἐκ Στρατονίκης Ἱπποκόων*, et scholio ad Il. II 581: *Οἴβαλος ὁ Περιήρους ἦρχε Λακεδαιμονίων, οὗ Τυνδάρεως κ. τ. λ.*

Temporibus antiquissimis Tyndareus rex et Leda, uxor eius et filii Castor et Pollux et filiae Clytaemestra et Helena apud omnes poetas notissimi erant, quapropter inde ab Homero *Tyndaris* et *Tyndarides*, *Ledae filii* et *Ledaei* vocabula maxime usitata sunt. Etiam apud poetas Romanos haec exstant, sed praeterea pro iisdem personis *Oebalius* sive *Oebalides* nobis occurrit. Romanos

primos his usos esse non putaverim, sed in his ut in aliis Alexandrinos eorum auctores fuisse. Exempla quidem desiderantur, sed vestigium invenitur apud Lycophronem, qui v. 1125 de Iove dicit:

Τιμὰς μεγίστας Οἰβάλου τέκνοις λαχών.

Poetae Romani hoc patronymico Helenam, Castorem, Pollucem significant. Unus Ovidius etiam Hyacinthum *Oebaliden* vocat, ut Hyginus in fabula 271, qui Hyacinthum filium Oebali vocat. Sed mirum in modum confundit Ovidius hanc versionem cum altera, eum paulo post *Amycliden* i. e. Amyclae filium appellans (cf. l. c.). Fortasse vero *Oebalides* Hyacinthus apud Ovidium idem est, quod *Lacedaemonius* Hyacinthus. Alexandrinorum Nicander hanc fabulam tractavisse dicitur in scholio ad Nic. Ther. 585, ubi legimus: *λάχανον, οὗ μνημονεύει Νίκανδρος ἐν τῷ ἐπιγραφομένῳ Ὑακίνθῳ.*

Conferas etiam Nicandri Ther. 903 sqq.:

Ὃν (sc. *ὑάκινθον*) *Φοῖβος θρήνησεν, ἐπεὶ ῥ' ἀεκούσιος ἔκτα*
Παῖδα βαλὼν προπάροιθεν Ἀμυκλαίου ποταμοῖο
Πρωθήβην Ὑάκινθον . . . .

Cetera epitheta, quae inveniuntur, fortasse in numero communium haberi possunt. Sic Helena modo *Graia* sc. mulier, modo *Spartana*, modo a promunturio Taenaro (Apoll. Rh. III 1241) *Taenaris*, Hyacinthus item *Taenarides*, Castor et Pollux modo *Lacones*, modo *Therapnaei* nominantur. Ad *Taenarides* vocabulum conferri potest *Ταιναρίην ὑπὸ χθόνα* apud Apollonium Rhodium (I 102) et *Ταινάριον κακόν* quod sicut proverbium legitur Plut. Prov. I 54.

Therapnaei Castor et Pollux vocantur ab urbe Therapnis, prope Spartam sita, ubi Menelaus et Helena sepulti esse et Castori et Polluci templum fuisse dicitur (Pind. P. XI 95; N. X 56; Isthm. I 31). Forma huius adiectivi exstat apud Apollonium Rhodium, qui II 163 Apollinem *Θεραπναῖον Διὸς υἷα* appellat (cf. schol. ad h. l.).

Pro Phoebe et Hilaira apud Ovidium et Propertium *Leucippides* vocabulum legitur, quod etiam invenitur in scholio ad Hes. Theog. 142, ubi Hesiodi *Λευκιππίδων κατάλογος* commemoratur. Stephanus ad Arist. Rhet. II 23 in Cram. An. Par. I

p. 298 refert: *Τυνδάρεως καὶ Ἀφαρεὺς καὶ Λεύκιππος ἀδελφοί. ὁ δὲ Λεύκιππος εἶχε θυγατέρας δύο· Φοίβην καὶ Ἱλάειραν.* Theocritus narrat (XXII) Castorem et Pollucem Leucippi filias vi et armis eripere voluisse (cf. Tzetz. ad Lyc. 511 et Apollodor. III 117). Etiamsi patronymicum apud Alexandrinos non legitur, fabula est notissima.

Restat, ut de nonnullis patronymicis et ethnicis disseram, quae cum fabulis allatis apte coniungi non possunt.

Clymeneius vocabulum, quod pro Phaethonte legitur, ad poetas tragicos referri potest. In schol. Strozz. ad Germ. Arat. 366 legimus: „Hesiodus autem dicit Eridanum inter astra collocatum propter Phaethonta, Solis et Clymenes filium.“ Ad quae Marckscheffel adnotat: „Haec genealogia non Hesiodea videtur“ (cf. Kinkel p. 167 et Knaack, Quaestiones Phaethonteae, Philologische Untersuchungen VIII 3 sqq.). Strabo autem dicit I 33: *Εὐριπίδης ἐν τῷ Φαέθοντι τὴν Κλυμένην δοθῆναί φησι „Μέροπι“ κ. τ. λ.* (cf. frg. 771 N.²; Hyg. 154).

Euadnen *Iphiada* vocare potuit, qui Euripides Suppl. 985 legerat:

Ἣν Ἶφις ἄναξ παῖδα φυτεύει

(cf. Apollod. III 79 et Hyg. f. 243. 256, ubi filia Philaci sive Philacis dicitur).

Marpessa apud Propertium *Eueni filia* vocatur. Iam Homerus (Il. IX 557) eam *Καλλίσφυρον Εὐηνίνην* nominat et in Cypseli cista leguntur hi versus:

Ἴδας Μάρπησσαν καλλίσφυρον, ἅν οἱ Ἀπίλλων
Ἅρπασε, τὰν ἐκ ναοῦ ἄγει πάλιν οὐκ ἀέκουσαν.

Pro *ΕΚΝΑΟΥ*, quae verba metro non respondent, Froehner (Rhein. M. XLVII 291) splendide *ΕΥΑΝΟΥ* coniecit (cf. Apollodor. I 60; Plut. Parall. c. 40).

Tenes, heros eponymus Tenedi insulae, ab hac insula, quae prioribus temporibus Lyrnessus nominata erat (Plin. N. H. V 140). *Lyrnesius* dicitur (cf. Heraclid. frg. 7, F. H. G. II 213 et Tzetz. ad Lyc. 232; Plut. Q. Gr. 28). Panthus, Phrontidis coniunx (Il. XVII 40), pater Euphorbi, Hyperenoris, Polydamantis (Il. XVI 806. XIV 516. 749), apud Vergilium solum a patre *Othryades* dicitur.

Ixionides, quod vocabulum pro Perithoo legitur, ex tragoediis manasse potest. Nam in fragmento Ixionis Aeschyli (Nauck p. 29) legimus: *οὗτος* (sc. Ixion) *ἔγημε τὴν Δηιονέως θυγατέρα Δίαν, ἐξ ἧς ἐγέννησε Πειρίθοον.*

In Iliade Ixionis coniunx Ixionie vocatur (Il. XIV 317). Pindarus (P. II 21 — 89) de Ixionis facinore agit, sed *Ixionides* Perithous nusquam invenitur, nisi apud Romanos.

Daphnen filiam Penei fuisse tradit praeter Ovidium Hyginus (f. 203) et Servius ad Aen. III 91. Helbig (Rhein. M. XLIII p. 252 sq.) aevo Alexandrino ortam esse dicit hanc fabulam, quia in veteribus neque epicis neque lyricis neque scaenicis ullum vestigium inveniretur. Alexandrinorum autem hanc fabulam tractaverunt Phylarchus et Diodorus (Parth. narr. am. 15), sed quis auctor fuerit Ovidio patronymici *Peneis* certe dici non potest.

Tethys *Titanis*, quod apud Ovidium exstat, etiam apud Callimachum (h. IV 17) et Lycophronem (231) invenitur.

Hippocoon et Nisus, Hyrtaci filii, apud Vergilium solum inveniuntur et ab eo *Hyrtacidae* vocantur.

Myscelus, qui Crotonem condidisse fertur, apud Ovidium solum *Alcmonides* dicitur.

Antenorides pro Pediano apud Silium solum exstat, *Bisaltis* pro Theophane apud Ovidium et Hyginum (f. 188), *Cephisius* pro Narcisso apud Ovidium et Hyginum (271), *Pallantis* pro Aurora apud Ovidium (cf. *Πάλλαντος θυγάτηρ Σελήνη* in hymn. Hom. II 100), *Pallante sati* pro Clytone et Bute apud Ovidium solum.

Haec sunt vocabula patronymica et ethnica, quae a poetis Latinis nominum propriorum loco metonymice ponuntur. Quod initio suspicati sumus, plurima a prioribus poetis imprimis ab Alexandrinis accepta esse, hoc ita se habere nunc nobis persuasimus.

Nonnullorum quidem vocabulorum origo obscura mansit ut *Narycius* pro Aiace, *Phylleia* pro Laodamia et *Phylleius* pro Caeneo, *Erechthis* pro Procride, *Erechthides* pro Eryce, *Laomedonteus* pro Aenea, *Cretheia* pro Helle, et paucorum aliorum, sed etiam haec apud Alexandrinos nos reperturos esse arbitrer, si plura carmina nobis servata essent aut plura fragmenta invenirentur. Quod hodie desideramus, tempus futurum nobis donaturum esse speremus.

Index I.

Nom. propr.	metonym.	poeta	cum n. pr.	alternatim	sine nom. propr.*)
Achilles	Peleion	Homerus		Il. I 188. Od. XI 470. 551. XXIV 18. 53	
	Pelei filius	"	Od. XI 478	Il. XVI 203. XVIII 18. XXI 129. XXII 8. 250	
		Sophocles		Phil. 333	
		Euripides	Hec. 37	Hec. 381. 530. Rhes. 119. 189. 304	
	Pelides	Homerus	Il. I 322	Il. I 146. 245. 277. 223. 306. etc.	
		Pythagor.			Anth. XIV 37
		Bacchyl.		XIII 77	
		Pindarus			P. VI 23
		Aristot.	Pepl. 5 Bergk]		
		Ap. Rhod.	I 585		
		Propertius		II 22, 34	
		Vergilius	Aen. 808		II 548. XII 350
		Ovidius		M. XII 605. 619.	Her. XIII 83
		Horatius			C. I 6,6. Epist. I 2,12
		Statius		A. I 721. 754. 824	S. II 7, 97
		Iuvenalis			III 280
		Ausonius	262, 20 [(Peiper)		
	Peleius	Statius		A. I 551. 884	
	Aeacides	Homerus	Il. XI 805	Il. II 860. 874. IX 184. Od. XI 471. 538	
	Aeaci genus	Euripides		Iph. A. 854.	
	Aeacides	Aristotel.			Pepl. 118
		Vergilius		Aen. I 99. VI 58	
		Ovidius		M. XII 82. 96. 168. 598. 603	Her. I 35. P. II 3,41 II 4, 22
		Petronius			69, 14

*) s. n. pr. dicit, nomen proprium in toto carmine aut in toto libro non inveniri.

Nom. propr.	metonym.	poeta	cum n. pr.	alternatim	sine nom. propr.
Achilles	Aeacides	Silius			XIII 769. 800
		Statius	A. I 578	A. I 1. 86. 364. [500. 561	S. V 3, 194. 5, 37.
		Martialis			VIII 6,12. XI 43,10
		Iuvenalis			VIII 270
		Ausonius	74, IV 1		2, 31. 78, XVIII 2 163, 81. 321, 16
	Thetidis fil.	Homerus	Il. IV 512		
		Bacchyl.		III 91	
		Euripides		Hec. 386. Iph.T. 525	
		Horatius			C. II 8, 14
		Silius			VII 120
	Thessalus	Euripides		Troad. 30	
		Aristotel.	Pepl. 82		
		Ovidius		Am. II 8, 11	
		Horatius			C. II 4, 10
	Haemonius	Tibullus			I 5, 45
		Propert.			III 1, 26
		Ovidius	M. XII 81	F. V 400. Art. I 682.	Am. II 9, 7. Her. [XIII 2
	Phthius	Propert.			II 13, 38
Actaeon	Autonoëius	Ovidius		M. III 198	
	Aristaeo genitus	Statius			Th. IV 573
	Hyantius	Ovidius		M. III 147	
Admetus	Pheretiades	Homerus			Il. II 763
		Ovidius			M. VIII 310. Art. [III 19
	Pheretis fil.	Bacchyl.			III 78
		Euripides		Alc. 494	
	Thessalicus	Statius		T. VI 420. 486	S. III 192
Adonis	Cinyrae fil.	Ovidius			Her. IV 97
	Cinyreius	"		M. X 712. 730	
		Ausonius	246, 42		
Adrastus	Talaionides	Bacchyl.	IX 19		
		Pindarus		O. VI 15	
		Statius			Th. II 141. V 18
	Talai fil.	Euripides		Phoen. 423	
		Statius			Th. VI 697
	Iasides	"			Th. I 541. VI 889
	Inachius	"			Th. II 145. 199
	Perseius	"			Th. III 441
Aeacus	Asopiades	Ovidius		M. VII 484	
Aeetes	Solis fil.	Hesiodus	Th. 958		
	Hyperionid.	Val. Flacc.		V 471	

Nom. propr.	metonym.	poeta	cum n. pr.	alternatim	sine nom. propr.
Aegina	Asopis	Ovidius			M. VI 113
Aegisthus	Thyestiades	Homerus	Od. IV 518		
		Ovidius			Art. II 407
		Claudian.			XXVIII 113
	Thyestae fil.	Euripides	El. 10	El. 612	
Aeneas	Anchisiades	Homerus	Il. XIV 754		
		Vergilius	Aen. VIII 521	Aen. X 250. 822	
		Silius			XIII 71
	Anchisa sat.	Vergilius		Aen. V 244. VI 322. VII 152	
	Veneris fil.	Lycophr.			1234
	Cythereius	Ovidius		M. XIII 625. XIV 584. F. III 611	
	Dardanides	Vergilius		Aen. X 545. XII 775	
	Dardanus	Silius		II 425	
	Laomedontius	Vergilius	Aen. I 596	Aen. VIII 18	
	Troianus	„		Aen. VI 451. VIII 530. X 584. 598. 686	
		Ovidius	M. XIV 156	M. XIV 110	
		Silius		VIII 161	
	Iliacus	„		VIII 50	
		Statius			S. III 1, 74
	Phrygius	Ovidius		M. XIV 79	
		Silius			XIII 64
		Statius		S. I 3, 87	
		Martialis			VIII 6, 14
	Rhoeteius	Vergilius		Aen. XII 456	
Aeolus	Hippotades	Homerus	Od. X 2		
		Ap. Rhod.	IV 819		
		Ovidius	M. XIV 224	M. IV 669. XI 431. XIV 86	
		Val. Flacc.			I 610
Aesculapius	Coronides	Ovidius			M. XIV 624. F. VI 746. Ib. 404
	Phoebeius	Statius			S. III 4, 6. 69
	Epidaurius	Propert.			II 1, 61
		Ovidius			M. XV 723. P. I 3, 21
		Statius			S. I 4, 61
		Claudian.			XXIV 171

Nom. propr.	metonym.	poeta	cum n. pr.	alternatim	sine nom. propr.
Aethra	Pitthei fil.	Homerus	Il. III 144		
		Bacchyl.		XVII 34	
	Pittheis	Ovidius	Her. X 131		
Aetolius	Olenius	"			M. III 594. F. V 113. 251
					Her. XVII 188
		Statius			S. I 3, 96. III 2, 77
					Th. I 402. II 541. III 25
Agamem-non	Atreion	Homerus		Il. I 387. II 445. XXII 233. XXIV 395	
	Atrei fil.	"		Od. XI 346. Il. II 23. 60. XI 131	
		Aeschylus		Ag. 748	
	Atrides	Homerus	Od. III 156	Od. III 193. 268. 304. Il. I 7, 12	
		Aeschylus		Ag. 508. 1325	
		Sophocles		Ai. 1349	
		Callim.			h. III 263
		Propert.	III 7, 23		II 14, 1. III 18, 30
		Vergilius			Cul. 334
		Ovidius		M. XIII 189. 230. 358. 364. 437	Am. I 9, 37. II 1, 30. Her. III 39. 148. F. IV 73
		Horatius			C. II 4, 7. S. II 3, 187. Epist. I 2, 12.
		Statius			A. I 399. 731. S. II 2, 98
		Iuvenal.			VI 660
		Ausonius		73, I 1	
	Tantalides	Aeschylus		Ag. 1425	
		Ovidius			M. XII 626. Am. II 8, 13. F. V 307. Her. VIII 45. P. IV 16, 26
	Mycenaeus	Vergilius			Aen. XI 266
		Ovidius			Am. II 8, 12. Her. III 109
		Silius			XV 277
Agamem-non et Menelaus	Atridae	Homerus	Il. V 552	Il. I 17. 375. Od. III 136. XVII 104. XIX 183	Od. V 307

Nom. propr.	metonym.	poeta	cum n. pr.	alternatim	sine nom. propr.
Agamemnon et Menelaus	Atridae	Bacchyl.			XI 124.
		Pindarus		P. XI 31	O. IX 70. I. V 38.
		Aeschylus	Ag. 44	Ag. 60. 119. 190. 297. 385	VIII 51*
		Sophocles		Ai. 57. 97. 251. [445. 461	
		Aristot.	Pepl. 63		
		Vergilius			Aen. I 458. II 104. 415. 500. VIII 130
		Horatius			C. I 10, 13. S. II 3, 203
		Ovidius			Am. II 12, 10
		Silius			XIII 802
		Statius			A. I 36. 468
		Martialis			VII 24, 4
		Ausonius			75, VII 2
	Plisthenidae	Aeschyl.		Ag. 1539. 1573	
	Tantalidae	„		„ 1425.	
		Euripides		Or. 393. 805. Iph.	
		Pindarus		N. VIII 12 [T. 193	
	Pelopidae	Aeschyl.		Ag. 1571. Choeph.	
		Sophocles		El. 10 [490	
		Euripides		Troad. 713. Iph. T.	
Agaue	Cadmea	Statius		[960. 1383	Th. IV 565
Aglaurus	Cecropis	Ovidius		M. II 806	
Aiax I	Telamoniades vel Telamonius	Homerus	Od. XI 543	Il. XIII 709	
		Pindarus	I. VI 27		
		Sophocles	Hel. 846	Ai. 136	
		Vergilius			Cul. 315
		Ovidius		M. XIII 194. 231.	
		Ausonius	382, 6	[266. 321	
	Telamonis filius	Homerus	Od. XI 553	Il. XVII 293	
		Sophocles	Iph. A. 191	Ai. 184	
		Ovidius		M. XIII 123. 346	M. XII 624. Her. [III 27
		Horatius	C. II 4, 5		
		Statius	A. I 501		
	Aeacides	Bacchyl.		XIII 134	
		Sophocles		Aias 645	
		Vergilius			Cul. 322
Aiax II	Oïlei fil.	Homerus	Il. II 527		
		Sophocles	Iph. A. 192	Iph. A. 258	
		Vergilius	Aen. I 41		
	Oïlius	Ovidius	M. XII 632		

Nom. propr.	metonym.	poeta	cum n. pr.	alternatim	sine nom. propr.
Aiax II	Oïliades	Homerus	Il. XVI 333	Il. XII 365. XIII 204. 712. XVI 446. XXIII 759	
		Pindarus	O. IX 112		
		Aristot.	Pepl. 16		
		Propert.			IV 1, 117
		Silius			XIV 479
	Narycius	Ovidius			M. XIV 468
Acmaeon	Amphiare-iades	Ovidius			F. II 43
Alcmene	Tirynthia	Euripides	Alc. 850		
		Ovidius			M. VI 112
	Thebais	Lucan.	III 9		
Alcyone	Aeolis	Ovidius		M. XI 444. 573	
Althaea	Thestii fil.	Bacchyl.		V 137	
	Thestias	Aeschyl.		Choeph. 589	
		Ovidius		M. VIII 452. 473	Tr. I 7, 18. R. 721
Amphia-raus	Oeclides	Bacchyl.			IX 16
		Pindarus	O. XVI 13	N. IX 17	N. XI 9
		Aeschyl.		Sept. 365	
		Euripides		Suppl. 927	
		Ovidius			M. VIII 317. Art. [III 13.
		Statius		Th. III 470. 620. V 731. VI 423. 496	
	Danaeius	Statius		Th. VI 440	
	Argolicus	"		Th. IV 192	
	Argivus	Horatius			C. III 16, 11
Amycus	Bebryx	Statius			A. I 190
		Val. Flacc.		IV 157. 261. 290. [315	II 649
Ancaeus	Lycurgides	Ovidius			Ib. 501
	Arcas	"		M. VIII 391	
Anchises	Dardanides	Homer		Hymn. IV 177	
		Vergilius	Aen. I 617		
	Phrygius	Statius			S. I 2, 189
Andro-mache	Thebais	Ovidius			Art. III 778
Andro-meda	Cepheia	Propert.	I 3, 3		
		Ovidius	Her. XV 35		Am. III 3, 17
	Cepheis	"			Art. III 191
Anna	Sidonis	Ovidius		F. III 649	
		Silius		VIII 70. 193. 199	
	Phoenissa	Ovidius		F. III 595	

Nom. propr.	metonym.	poeta	cum n. pr.	alternatim	sine nom. propr.
Antaeus	Libys	Pindarus		I. III 70	
		Seneca		Herc. 482	
		Martialis			IX 101, 4
Antigone	Cadmeia	Statius		Th. XII 380	
Antiloch.	Nestorides	Homerus	Il. VI 33	Il. XV 589	
		Ovidius			P. II 4,22
Antiope	Nycteïs	„			M. VI 111
		Statius			Th. VII 190
Arachne	Maeonis	Ovidius		M. VI 103	
Arcadius	Parrhasius	Pindarus			O. IX 95
		Callim.		h. I 10. III 99	frg. 368. frg. an. 312
		Ap. Rhod.		II 521	
		Vergilius			Aen. VIII 344. XI 31
		Ovidius			Her. XVII 152. M. VIII 314. F. I 618. 478. II 276
		Silius			XII 710
		Statius			T. IV 246. 293. VII 163. VIII 370. IX 744
		Claudian.			XXI 185. XXVI 191. XXXV 18
	Parthenius	Propert.			I 1, 11
		Ovidius			Her. IX 49. M. IX 189
		Statius			Th. II 207. IV 285
	Maenalius	Callim.		III 89. 224	
		Seneca		Herc. 229	
		Propert.			IV 9, 15
		Ovidius			M. V 608. F. I 634. III 84
		Statius			S. I 2, 18. III 1, 40. Th. IV 256
Arethusa	Arcadiae virgo	Ovidius			Am. III 6, 30
Argivus	Inachius	Euripides		Iph. A. 1086	
		Nicander			Anth. VII 526.
		Propert.			I 13, 31. II 13, 8
		Callim.			frg. an. 249
		Ovidius			Her. XIII 134. F. V [656
		Petron.			139, 8
